




V
B
J
D

IN VNIVERSAM ARISTOTELIS HILOSOPHIAM INTRODVCTIO.

Authore Magiſtro
PETRO BARBAY;
Celeberrimo quondam iu Academiâ
Pariſienſi Philoſophiæ Profeſſore.



CRACOVIÆ,
ad CHRISTOPHORUM DO-
MANSKI, S. R. M. Typog.

ANNO M. DCCVI.





IN VNIVERSAM ARISTOTELIS PHILOSOPHIAM INTRODVCTIO.



YNOPSIM nostram Philosophicam, Introductionem inscripsimus, nam Philosophiæ candidatos veluti manu apprehensos in penitiorem rerum Philosophicarum cognitionem introducet: in eâ quippe totius Philosophici cursûs ordinem & consilium aperiemus; Architectos imitati, qui priusquam ad ædificium alicujus momenti construendum sese accingant, rudi quadam delineatione in alicujus chartæ angustijs illud ipsum adumbrant.

Hic itaque quatuor Philosophiæ partes totidem Compendiis expendemus, si tamen prius pauca de ipsâ Philosophiâ delibaverimus.

PRÆLUDIUM
De ipsâ Philosophiâ.

QUi nunc Philosophi, olim Sapientes vocabantur, & Philosophia olim diceba-

tur Sapientia: sed meritò Sapientiæ nomini successit nomen Philosophiæ, quia omnis humana cognitio, potiùs amor est & studium sapientiæ, quâm vera sapientia.

Quamvis Philosophia & scientia aliquando confundantur, propriè tamen differunt, sicut totum & pars ejus: adeo ut Philosophia propriè significet complexionem omnium scientiarum naturalium, scilicet Logicæ, Ethicæ, Physicæ, Mathematicæ & Metaphysicæ; Scientia verò pro quâcunque ex illis partibus sigillatim sumatur: unde qui solam calleret Mathematicam, sciens quidem dici posset, non tamen Philosophus.

Attamen usus obtinuit ut collectio quinque prædictarum scientiarum vocetur Philosophia collectivè sumpta, unaquæque vero sigillatim, Philosophia distributivè sumpta.

Philosophia distributivè sumpta, definitur cognitio vera, certa, & evidens, rei necessariæ, per causas.

Philosophia collectivè sumpta, definitur cognitio rerum omnium naturalium per causas.

Per ultimam particulam cognitio Philosophica differt à non Philosophicâ, quippe Philosophus non tantùm cognoscit res, sed etiam causas rerum; ignarus autem Philosophiæ causas rerum ignorat: sic dum plui cognoscit æquè rusticus pluere ac Philosophus;

phus; ſed Philoſophus non tantùm cognoſcit pluere, verùm omnes pluviæ cauſas habet ſibi perſpectas.

Itaq; ut Philoſophiam philoſophicè cognoſcamus, illius cauſæ aperiendæ ſunt.

DE CAUSIS PHILOSOPHIÆ.

IN pleriſque effectibus cauſæ inveſtigandæ ſunt quatuor: ſcilicet, Finalis, Efficiens, Materialis, & Formalis. v. g. in ædificio quatuor illæ cauſæ reperiuntur: nam ejus Finis eſt commoda habitatio; Efficiens, Architectus; Materia, ligna, lapides, & cęmenta: Forma ejusq́, figura & ſtructura.

Dixi quatuor cauſas poſſe inveſtigari in pleriſque effectibus, non autem in omnibus, ut ab eorum numero materiam & formam exciperem: materia enim non habet cauſam materialem, nec forma cauſam formalem, quia non datur materia materiæ, nec forma formæ, ne detur proceſſus in infinitum. Hæ quatuor cauſæ in Philoſophia ſunt inquirendæ.

DE FINE PHILOSOPHIÆ.

Hypotheſes.

CAuſa finalis in communi eſt ea, propter quam eſt aut fit effectus: ſic commoda habitatio eſt ædificij finis,

Finis autem duplex est: scilicet, finis cui, & finis qui, seu cujus gratiâ.

Finis cui, est illa persona, in cujus commodum aliquid cedit, ut homo respectu ædificii.

Finis qui seu cujus gratiâ, est illud bonum ad quod res illa inservit, ut commoda habitatio respectu ædificii.

Theses.

IAm finis cui Philosophiæ est homo, quia in ejus commodum vergit Philosophia.

Finis qui seu cujus gratiâ Philosophiæ, est cognitio veritatis, & actio virtutis, quia ad ista bona inservit Philosophia, scilicet tota Philosophia ad cognitionem veritatis. Ethica verò ad actionem virtutis.

DE CAUSA EFFICIENTE PHILOSOPHIÆ.

Hypotheses.

CAusa efficiens alicujus rei est ejus principium productivum, ut Architectus respectu ædificii.

Philosophia spectari potest in Adamo, in reparatoribus, & in nobis.

Tribus modis obtineri potest aliqua disciplina: scilicet Infusione, Inventione, & Doctrinâ, seu Disciplinâ.

Theses.

Theses.

ADamus Philosophiam habuit infusione, reparatores inventione, nos doctrinâ. Sic itaque

Causa efficiens Philosophiæ Adami fuit Deus infundendo, reparatorum, ipsi fuerunt inveniendo, admiratione excitati ad indagandas rerum causas, & ad eas inveniendas usu & experiertiâ adjuti. Philosophiæ nostræ nos ipsi causa sumus: studendo & discendo ope magistrorum tam vivorum, quàm mortuorũ.

DE CAUSA MATERIALI PHILOSOPHIÆ.

Hypotheses.

MAteria triplex scilicet in quâ, circa quam, & ex quâ. Prima vocatur subjectum, secunda objectum, tertia retinet nomen materiæ.

DE SUBJECTO PHILOSOPHIÆ.

SUbjectum illud est in quo recipitur aliqua forma, sic capilli sunt subjectum canitiei.

Duplex est subjectum alicujus accidentis, scilicet denominationis & inhæsionis.

Subjectum denominationis illud est, quod ab aliquâ formâ appellatur: sic homo dici-

tur canus à canitie, licet canities sit in solis pilis, quippe denominationes sunt totius.

Subjectum inhæsionis illud est in quo recipitur aliquod accidens, & duplex est, scilicet Proximum seu quo, & Remotum seu quod.

Subjectum quo est illud, in quo recipitur aliquod accidens immediatè, ut pili respectu canitiei.

Subjectum quod est illud suppositum in quo recipitur accidens mediante altero subjecto, ut homo respectu canitiei; nam canities recipitur in homine mediantibus pilis.

Theses.

Subjectum denominationis Philosophiæ est homo, quia homo à Philosophia denominatur Philosophus.

Subjectum inhæsionis quo Philosophiæ, est intellectus humanus, quia Philosophia in eo immediatè recipitur.

Subjectum inhæsionis quod Philosophiæ est homo, quia Philosophia recipitur in homine mediante intellectu.

DE OBJECTO PHILOSOPHIÆ.

Hypotheses.

Objectum est id circa quod aliquid occupatur: sic corpus sanabile est objectum Medicinæ.

Duplex est objectum, scilicet, Materiale, & Formale. Obje-

Objectum materiale est id circa quod aliquid ita versatur, ut etiam commune sit alteri: ut Corpus naturale respectu Medicæ, quia Corpus naturale ita spectatur à Medicâ, ut etiam à Physicâ consideretur.

Objectum formale est modus specialis, sub quo objectum materiale spectatur, soletque denotari aliquâ particulâ reduplicativâ, quales sunt, quatenùs, formaliter, præcisè, ut sic, v, g. Sanabilitas est objectum formale Medicæ, quia ars medica versatur circa corpus naturale quatenus sanabile.

Objectum quod formatur ex utroque, materiali, scilicet & formali, Vocatur objectum attributionis, ut corpus sanabile quatenùs sanabile, respectu Medicæ.

Theses.

OBjectum attributionis Philosophiæ, est res omnis naturalis, quatenùs naturaliter cognoscibilis per causas; quia circa res omnes naturales sic spectatas Philosophia occupatur.

Objectum materiale Philosophiæ, est res omnis naturalis, quia res omnis naturalis ita consideratur à Philosophiâ, ut etiam ab alio habitu spectetur, scilicet ab opinione, & fide humanâ.

Objectum formale Philosophiæ, est cognoscibilitas naturalis per causas, quia per illam

Philosophia discrepat ab alio quovis habitu: hoc enim habet speciale Philosophia, quod res omnes consideret prout sunt naturaliter cognoscibiles per causas.

DE MATERIA, EX QUA PHILOSOPHIÆ

Hypotheses.

MAteria ex quâ, vel est eductionis, vel compositionis.

Materia eductionis, est subjectum à quo forma pendet ut producatur, unde in quolibet accidente idem est subjectum inhęsionis, & materia eductionis.

Materia compositionis vel sumitur strictè pro ipsissimâ materiâ, vel latè pro quibuslibet partibus aliquod totum componentibus; quo sensu Angeli sunt materia, ex quâ constat tota militia Angelica.

Theses.

MAteria eductionis Philosophiæ, est intellectus humanus, quia idem est subjectum inhęsionis & eductionis.

Materia compositionis Philosophiæ propriè dicta, nulla est, quia Philosophia spiritualis est, proindeque caret materiâ propriè dictâ.

Materia compositionis Philosophiæ impropriè dicta, sunt partes omnes ex quibus constat.

stat, scilicet, Logica, Ethica, Physica, Mathematica, & Methaphysica.

DE CAUSA FORMALI PHILOSOPHIÆ.

Hypotheses:

CAusa formalis est id, quod constituit aliquid in suo esse. Sic anima rationalis est causa formalis hominis, quia constituit hominem in esse hominis.

Causa formalis duplex est: scilicet propria, quæ Physica etiam dicitur, & impropria, quæ vocatur Metaphysica.

Causa formalis propria est forma, quæ alicui subjecto verè advenit, ut anima respectu corporis.

Causa formalis impropria, est ipsa rei definitiò.

Theses,

PHilosophia non habet causam formalem propriè dictam, quia est forma quædam adveniens subjecto, puta intellectui & homini; forma autem non habet formam.

Philosophia habet causam formalem impropriè dictam, puta suam definitionem, quam supra tradidimus.

DE DIVISIONE PHILOSOPHIÆ.

PHilosophia vel est habitualis quæ est assuetudo philosophandi labore parta, qualis

est etiam in Philosophis dormientibus; vel est actualis quæ est actio hominis de facto philosophantis.

Philosophia dividitur vulgò in Practicam seu Operativam, & Theoreticam seu Speculativam.

Philosophia Practica est, ea quæ non conquiescit in objecti sui cognitione, sed transit ad opus, hoc est, quæ non tantùm cognoscit ut cognoscat, sed etiam ut faciat.

Philosophia Speculativa est ea, quæ in objecti sui cognitione conquiescit, nec transit ad opus hoc est, quæ tantùm cognoscit ut cognoscat, non autem ut faciat.

Duplex est Pphilosophia Practica: videlicet Logica, quæ circa mentis operationes versatur: & Ethica, quæ circa actiones voluntatis dirigendas occupatur.

Triplex autem est Philosophia Speculativa, scilicet Physica, quæ circa corpus naturale versatur, Mathematica, quæ quantitatem mensurabilem contemplatur, & Metaphysica, quæ res à materia avulsas considerat. Sed jam à scholis Philosophicis exulat Mathematica, quapropter hic quatuor duntaxat Compendia trademus.

Finis Proœmii Philosophici.

COMPEN-

COMPENDIVM LOGICVM.

PRÆLUDIUM.

De ipsâ Logicâ.

LOgica inscribitur ab Aristotele, & vulgò vocatur Organum, quæ est instrumentum ad cæteras scientias utilissimum communiter.

Dicitur Logica à sermone, quia dirigit sermonem, non quidem externum & oris, sed internum & mentis, ab eodem Aristotele.

Dicitur Dialectica, hoc est Dissertatrix. à disserendo, quia docet modum disserendi, seu disputandi.

Definitur vulgò disciplina quæ versatur circa operationes mentis ad verum dirigendas.

A nobis definietur Scientia practica, vel ars Æthiologica seu liberalis, quæ versatur circa orationes Logicas, quatenùs ex Logicæ præceptis construendas.

DE CAUSIS LOGICÆ.

EX dictis in Præludio nostro de causis Philosophiæ in communi facile est causas omnes Logicæ assignare, præterquam ejus finem & ejus objectum.

Finis cujus gratia Logicæ, est cognitio præcepto-

ceptorum Logicorum, & artificiosa constructio orationum Logicarum. Quia Logica inservit ad cognitionem præceptorum, quibus orationes Logicæ artificiosè construantur, & ad earumdem constructionem.

Objectum adæquatum Logicæ, sunt orationes Logicæ, (hoc est definitiones, divisiones, argumentationes & methodi) ex præceptis ejusdem Logicæ constituendæ, quia circa eas tota Logica versatur.

Objectum materiale Logicæ, sunt orationes Logicæ, quia ad Logicam artificialem ita pertinent, ut etiam ad Logicam naturalem spectent.

Objectum formale Logicæ, est rectitudo in orationes Logicas ex præceptis Logicæ inducenda, quia per hanc considerationem à quolibet alio secernitur.

DE DIVISIONE LOGICÆ.

Logica dividitur in Naturalem & Artificialē.

Logica naturalis est ipsemet intellectus humanus, quatenùs sine ullis præceptis solâ natura duce, definire, dividere, argumentari, & ordinare potest.

Logica artificialis est habitus rectè definiendi, dividendi, argumentandi & ordinandi, & dividitur in docentem & utentem.

Logica docens est habitus, quo cognoscuntur præcepta rectè definiendi, dividendi, argumentandi & ordinandi.

Logica utens est peritia & facilitas Logicæ præcepta applicandi.

Quia Logicæ munus est dirigere mentem in construendis orationibus Logicis, ideò tres instituemus hujus Compendij partes, tribus mentis operationibus dirigendis destinatas, si modo priùs pauca de mentis operationibus in communi præmiserimus.

DE OPERATIONIBUS MENTIS in Communi.

PRÆFATIO.

OPeratio mentis, est cognitio spiritalis.

Triplex est: scilicet Prima seu apprehensio, secunda seu judiciũ, & tertia seu discursus.

Apprehensio est operatio, quâ intellectus simplici intuitu fertur in objectum suum nihil de eo dicendo, vel ut plerique loquuntur, nihil affirmando vel negando; ut cùm cogito de Philosophia, nihil de ea asserendo.

Apprehensio duplex est: una simplex, seu incomplexa, altera complexa.

Apprehensio simplex est: ea quæ circa objectum unico vocabulo expressum occupatur, ut cùm concipio Philosophiam.

Apprehensio complexa est, ea quæ circa objectum pluribus vocabulis expressum versatur, ut cùm concipio amorem Philosophiæ.

Judicium est operatio mentis, quâ intellectus aliquid dicit de aliquo, seu ut plerique

loquuntur, est operatio mentis affirmans, vel negans; ut cùm dico, Philosophia est utilissima, Philosophia non est spernenda.

Discursus seu ratiocinium, est operatio mentis ex uno, aut pluribus judiciis aliud deducens hoc modo, quod est utilissimum non est spernendum: Atqui Philosophia est utilissima. Ergo Philosophia non est spernenda.

PARS PRIMA.

De iis, quæ spectant ad Apprehensionem.

VT Logica dirigat Apprehensionem, tria præstare debet.

Primò, res similes conjungere ut citiùs concipiantur, quod præstat in tractatu de universalibus.

Secundò, res dissimiles separare ne confundantur, quod facit in tractatu de categoriis.

Tertiò denique, definiendi, & dividendi præcepta tradere, quod agit in tractatu de definitione & divisione.

Itaq; hujus primæ partis tres erunt tractatus.

Primus de universalibus.

Secundus de categoriis.

Tertius de definitione & divisione.

TRACTATUS PRIMUS.

De Universalibus.

VNiversalia in communi priùs sunt consideranda, quàm ad singula in particulari descendatur.

SECTIO

SECTIO PRIOR.

De Universalibus in Communi.

VNiversale est unum quid ad multa pertinens, ut homo, equus.

Duplex est Complexum, & Incomplexum.

Universale complexum illud est, quod pluribus vocabulis exprimitur, & ad multa spectat, ut animal rationale, omnis totum est sua parte majus.

Universale incompletum seu simplex est aliquid unico expressum vocabulo ad multa quodammodo pertinens & quintuplex est, scilicet

Universale in causando, quod est causa productiva integræ alicujus naturæ, ut Deus, Sol, &c.

Universale in repræsentando, quod est aliquid multornm repræsentativum, ut idea domûs in mente Architecti. &c

Univetsale in significando, quòd est vox multorum significativa, ut vox quælibet æquivoca, v. g. Gallus, Canis.

Universale in essendo, quod potest esse in multis divisim, ut humanitas in Petro & Paulo, &c.

Universale in prædicando, quod potest prædicari de multis univocè, & divisim, id est cum multiplicatione sui ut homo de Petro & Paulo, &c.

Philo-

Philosophi hîc agunt tantùm de universali in essendo & prędicando: Priùs Metaphysicum appellant, posteriùs verò Logicum.

Universale est nomen concretum, sicut calidum, v. g. itaque

Tribus modis sumitur, scilicet Materialiter, Formaliter, & in concreto.

Universale materialiter, est res quæ habet universalitatem, v. g. natura humana.

Universale formaliter est universalitas ipsa.

Universale in concreto, est aliquid constans ex natura & universalitate, uno verbo est natura prout universalis, & sic vulgò intelligitur universale.

DEFINITIO UNIVERSALIS.

VNiversale describitur, unum aptum esse in multis aut prædicari de multis, univocè & divisim.

Dicitur primò unum, quia universale debet habere quandam unitatem multis communicabilem.

Dicitur secundò, aptum esse aut prędicari de multis, nam de ratione vniversalis non est ut sit de facto in multis, sed satis est, quòd possit esse in multis, unde natura Solis est universalis, quia Deo volente potest esse in multis solibus.

Dicitur tertiò, univocè hoc est eodem sensu, hinc æquivoca non sunt universalia.

Dicitur deniq; divisim, hoc est cum sui divisione & pluralitate, defectu cujus conditionis Natura divina non est universalis, quia licet sit in tribus, proindeq; in multis personis, in illis tamen non est divisim, sed indivisim.

Ex hac definitione patet ad universalitatem quatuor requiri conditiones,; nempè unitatem, aptitudinem essendi in multis aut prædicari de multis, seu communicabilitatem, univocationem, & divisionem seu multiplicationem.

DIVISIO UNIVERSALIS.

PORphyrius quinque recenset universalia: scilicet, Genus, Speciem, Differentiam, Proprium & Accidens commune.

Ex illis tria priora sunt essentialia, duo posteriora accidentalia.

Universale essentiale illud est, sine quo res nec esse, nec concipi potest; idque vel est tota natura, & dicitur species ut humanitas: vel est pars naturæ generalior, & dicitur genus ut animalitas; vel est pars naturæ specialior distinctiva & dicitur differentia, ut rationalitas.

Universale accidentale illud est sine quo res concipi saltem potest, &

Duplex est, unum, necessarium, quod dicitur proprium, ut vis ridendi; aliud contingens, quod dicitur accidens commune, ut doctrina.

Item ex illis universalibus genus & species prædicantur in quid: proprium & accidens in quale: differentia verò in quale quid.

Prædicari in quid, est prędicari essentialiter, & substantivè, quomodò homo & anima, prędicantur de Petro.

Prædicari in quale, est prædicari accidentaliter & adjectivè quomodò risivus & doctus, dicuntur de Petro.

Prædicari in quale quid, est dici de aliquo essentialiter, & tamen adjectivè, quomodò rationalis dicitur de Petro.

SECTIO POSTERIOR.

De Universalibus in particulari.

QUinque universalia totidem capitibus perstringemus.

CAPUT PRIMUM.

De Genere.

GEnus Metaphysicum definitur, unum aptum esse in multis specie differentibus, ut pars essentiæ communior, qualis est in homine & bruto animalitas.

Genus Logicum definitur unum aptum de multis specie differentibus prædicari in quid; quale est animal.

Notam generis Logici hanc accipe: omne substan-

ſubſtantivum prædicabile de multis natura diſcrepantibus, eſt genus, ut animal, arbor, ſydus, color, &c.

Duplex eſt genus, unum ſupremum ſeu generaliſſimum, alterum ſubalternum.

Genus ſupremum illud eſt; quod nullum habet ſupra ſe genus, ut ſubſtantia in communi opinione.

Genus ſubalternum eſt illud, quod ita eſt genus reſpectu inferiorum, ut tamen habeat aliud genus ſupra ſe cujus ſit ſpecies, ut animal, quod ita eſt genus homini & bruto, ut ſit ſpecies viventis, ut patet in ſequenti ſchemate, penitùs neceſſario ad intelligentiam univerſalium & Categoriarum.

Porrò illa perfectio dicitur ſuperior alterâ, ſeu ſupra alteram Logicè, quæ illi & pluribus aliis eſſentialiter competit, ſeu quæ de ea prędicatur in quid, breviùs illa perfectio ſuperior eſt, quæ latiùs patet; ſic animal ſuperiùs eſt homine, & vivens animali.

Unde quia perfectiones eſſentiales, ita ſe habent; ut aliæ ſint ſupra alias, ideò gradus vocantur; & quia ejuſmodi perfectiones tam reperiuntur in rebus ſpiritualibus, quàm in materialibus, ideò appellantur gradus Metaphyſici; itaque gradus Metaphyſici ſunt attributa cuilibet enti eſſentialia.

Arbor

ARBOR PORPHYRII.

	Subſtantia.	
Corporea.		Incorporea.
	Corpus.	
Animatum.		Inanimatum.
	Vivens.	
Senſitivum.		Inſenſitivum.
	Animal.	
Rationale.		Irrationale.
	Homo.	
	Petrus. Paulus.	

CAPUT SECUNDUM.

De Specie.

SPecies eſt gradus, qui ſubijcitur generi directè & immediatè, ut animal viventi.

Dicitur primò ſubjici generi directè, ut ſpecies diſtinguatur à differentia, quæ generi indirectè tantùm & collateraliter adjacet.

Dicitur ſecundò, immediatè, ut ſpecies ab individuo diſtinguatur, quod ſubjacet quidem generi, ſed mediante ſpecie: ſic Petrus ſubjacet animali mediante homine, ut patet in arbore Porphyrianâ.

Duplex eſt ſpecies, ſcilicet Subalterna ſeù interjecta, ſeu intermedia; & infima ſeu ultima, ſeu atoma, ſeu ſpecialiſſima.

Species ſubalterna eſt ea, quæ eſt ita ſpecies reſpectu ſuperioris, ut ſit genus reſpectu inferiorum; ut animal quod ita eſt ſpecies viventis, ut ſit genus reſpectu hominis & bruti.

Unde genus ſubalternum, & ſpecies ſubalterna, non differunt gradu, ſed reſpectu, hoc eſt ſunt unicus gradus, qui reſpectu ſuperioris vocatur ſpecies, & reſpectu inferiorum dicitur genus.

Species infima eſt ea, quæ tum reſpectu ſuperioris, tum reſpectu inferiorum eſt ſpecies, ut ~~homo~~, qui ſi comparetur cum animali, ſive cum Petro & Paulo: ſemper eſt ſpecies; & hęc ſola ſpecies conſtituit ſecundùm univerſale.

Species ut universale Metaphysicum definitur, unum aptum esse in multis solo numero differentibus ut tota essentia,

Ut universale verò Logicum definitur, unum aptum de multis solo numero differentibus prędicari in quid,

Notam speciei Logicæ hanc accipe: omne substantivum divisim prædicabile de multis natura non discrepantibus, est species universalis, ut homò, quercus, Sol, albedo, &c.

APPENDIX,

De Individuis.

Species universalis respicit multa individua, sicùt rex multos respicit subditos; quare cùm relata sint simul cognitione, ut meliùs intelligatur species, explicandum est individuũ.

Individuum sic dicitur, quia dividi non potest in plura talia quale ipsum est, v. g. Petrns non potest dividi in plures Petros.

Describitur à Porphyrio, id quod de uno tantùm prędicatur; & ab Aristotele; id quod non prędicatur de multis, ut Petrus.

Duplex est individuum, scilicet Vagum & determinatum.

Individuum vagum illud est, quod de uno tantùm prędicatur, sed ita confusè & indeterminatè, ut vi illius non intelligatur de quo sit sermo; ut aliquis oculus est necessarius ad videndum.

Individuum determinatum illud eſt, quod de uno distinctè dicitur, ut ſi dicatur Ariſtoteles fuit Peripateticorum princeps.

CAPUT TERTIUM.

De Differentia.

DIfferentia ſecundùm vim vocis, eſt id quo unum differt ab alio, & ſic

Duplex eſt, ſcilicet Communis, propria, & maximè propria.

Differentia communis eſt diſcrimen ab accidente ſeparabili repetitum, quomodò homo ſanus differt ab ægro.

Differentia propria eſt diſcrimen repetitum ab accidente inſeparabili, quomodò differt Æthiops ab Europæo per nigredinem.

Differentia maximè propria eſt diſcrimen repetitum ab eſſentia, quomodò homo differt ab equo per rationalitatem, & hæc differentia conſtituit tertium univerſale.

Differentia ut univerſalis Metaphyſicè definitur, unum aptum eſſe in multis (ſpecie vel numero differentibus) ut pars eſſentiæ ſpecialior, qualis eſt in homine rationalitas.

Differentia verò Logicè definitur, unum aptum prędicari de multis in quale quid, quale eſt rationale in homine.

Hæc obſervanda eſt veræ differentiæ nota, omne adjectivum eſſentialiter prædicabile,

differentia est, ut rationale, sensitivum, animatum.

Differentia universalis duplex est, scilicet Generica, & Specifica; nam differentia numerica non est universalis.

Differentia generica est ea, quæ constituit aliquod genus, ut sensitivum, quod constituit animal.

Differentia specifica est ea, quæ constituit speciem? ut Latrativum, quod constituit canē.

Differentia numerica est ea, quæ constituit individuum, ut Petreitas, quæ constituit Petrum? & Bucephaleitas, quæ constituit Bucephalum.

Triplex obit munus differentia universalis.

Primò, dividit genus, ratione cujus officii dicitur divisiva.

Secundo, constituit speciem, ratione cujus officii vocatur constitutiva.

Tertiò, speciem à se constitutam distinguit à qualibet aliâ specie, ratione cujus officii vocatur distinctiva, & differentia. Sic rationale v. g. dividit animal in duas quasi portiones; deinde cum una portione animalis hominem constituit; denique hominem distinguit & differre facit essentialiter à bruto: sic sensitivum primò dividit vivens; secundò constituit animal; tertiò distinguit animal à plantâ.

CAPUT

CAPUT QUARTUM,

De Proprio.

PRoprium ex Porphyrio dicitur quatuor modis:

Proprium primo modo est illud, quod soli convenit, sed non omni, ut homini esse Philosophum.

Proprium secundo modo est illud, qnod convenit omni, sed non soli, ut homini esse bipedem.

Proprium tertio modo illud est, quod omni & soli convenit, sed non semper, ut homini actu ridere.

Proprium quarto modo illud est, quod convenit omni & soli & semper, ut homini esse risivum, & hoc proprium constituit quartum universale.

Hic est character proprii. Proprium est id, quod non est de essentia, (hoc est quod neque est natura rei, neq; pars naturæ) fluit tamen necessariò à natura & cum ea reciprocatur; sic vis ridendi est proprietas hominis, quia non est natura hominis, neq; pars naturæ hominis, sed à natura humana emanat necessariò, & cum ea reciprocatur.

Differunt ergo essentiale & necessarium. nam

Necessarium illud est, sine quo res esse non potest, etsi forsitan sine eo possit concipi, sic respiratio necessaria est homini:

Essentiale verò illud est, sine quo res nec esse nec concipi potest, sic anima essentialis est viventi; hinc omne essentiale est necessarium.

Tria priora universalia necessaria, sunt simul & essentialia; hoc quartum necessarium tantùm est, non essentiale: ultimum nec est essentiale, nec necessarium, sed contingens.

Proprium Metaphysicè definitur, unum aptum esse in in multis accidētaliter necessariò: & sic appellatur proprietas, affectio & passio, ut calor respectu ignis, & frigus respectu aquæ.

Logicè verò definitur unum aptum de multis prædicari in quale necessariò; & sic dicitur verè proprium.

Duplex est proprium, scilicet Genericum & Specificum.

Proprium genericum est illud, quod necessariò fluit à gradu generico, ut tactus ab animali, & potentia nutritiva à vivente Physico.

Proprinm specificum est illud, quod necessariò fluit à gradu specifico, ut vis admirandi ab homine.

CAPUT ULTIMUM.

De Accidente Communi

ACcidens commune describitur à Porphyrio, quod potest abesse & adesse à subjecto, sine subjecti interitu.

In hoc enim accidens commune differt à pro-

proprio, quod proprium à nullo ſubjecto capaci abeſſe poſſit, ut patet in vi admirandi hominis; accidens verò commune ab aliquo ſaltem ſubjecto capaci abeſſe poſſit; hinc nigredo eſt accidens commune etiam corvi quia licet non poſſit ſeparari à corvo, poteſt tamen ſeparari à pilis.

Accidens Metaphyſicum definitur, unum aptum eſſe in multis contingenter, ut albedo.

Accidens verò Logicum definitur unum aptum prædicari de multis in quale contingenter, ut album.

Hæc eſt nota accidentis communis, quicquid poteſt abeſſe ab aliquo ſubjecto capaci, eſt accidens cõmune ut albedo, doctrina, virt⁹.

Accidens commune dividitur à Porphyrio, in Separabile & Inſeparabile.

Accidens ſeparabile illud eſt, quod naturaliter tolli poteſt ſubjecto in quo eſt, (non tamen ita ut poſt ſeparationem naturaliter remaneat) ut nigredo à capillis.

Accidens inſeparabile illud eſt, quod naturaliter ſeparari non poteſt à ſubjecto, in quo reſidet, ut nigredo in Æthiope.

TRACTATUS SECUNDUS.
De Cathegoriis.

Liber Cathegoriarum Ariſtotelis in tres partes vulgò diſtribuitur; ſcilicet in Antepraedicamenta, prędicamenta, & poſtprędicamẽta.

SECTIO PRIMA.

De Antepraedicamentis.

ANtepraedicamenta sunt quaedam necessaria ad intelligentiam Praedicamentorum seu Cathegoriarum, & sunt quadruplicis generis: scilicet definitiones, divisiones, Regulaeq; antepredicamentales, & numerus Cathegoriarũ.

CAPUT PRIMUM.

Definitiones Antepraedicamentales.

HIc vulgò definiuntur homonyma, seu Æquivoca, Sinonyma seu univoca, & paronyma seu denominativa.

Æquivoca sunt ea, quorum nomen commune, ratio verò nomini respondens, planè diversa. Ipsum nomen dicitur aequivocum aequivocans; res verò quae per nomen significantur, dicuntur aequivoca aequivocata; sic nomen Gallus est aequivocum aequivocans, Francus verò & Gallus Gallinaceus, sunt aequivoca aequivocata.

Æquivoca alia sunt à casu; alia à consilio.

Æquivoca à casu sunt ea, quae sine ulla legitima ratione eodem nomine donantur, ut jusculum & justitia respectu nominis juris.

Æquivoca à consilio sunt ea, quae licet diversis sortiantur appellationes, cum aliquo tamen legitimo fundamento eodem nomine

appel-

appellantur; ut infima pars hominis, & infima pars animalis, respectu nominis pes: & hæc æquivoca complectuntur Analoga, nec distingunntur ab analogis.

Univoca sunt ea, quorum nomen commune, ratio verò nomini respondens penitùs eadem; ipsum nomen vocatur univocum univocans; Res verò significatæ vocantur univoca univocata: sic nomen homo est univocum univocans, Petrus verò & Paulus, &c. sunt univoca univocata.

Analoga sunt ea, quorum nomen commune; ratio verò nomini respondens partim eadem partim diversa ipsum Nomen dicitur analogum analogans; res verò significatæ dicuntur analoga analogata. Sic nomen pes est analogũ analogans; infima verò pars animalis, & infima pars scamni sunt, analoga analogata.

Paronyma sunt ea, quæ ab aliquo sumunt appellationem, ut justus à justitia, à Philosophia Philosophus, &c.

Nota Paronymorum hæc est; omnia concreta, quorum forma est accidentalis, sunt paronyma, seu denominativa; ut rex, Philosophus, justus, &c.

In Paronymis tria sunt observanda, scilicet Forma denominans, subjectum denominatum, & denominativum. Sic in exemplo Philosophi, forma denominans est Philoso-

phia, ſubjectum denominatum eſt Ariſtoteles, denominativum verò eſt concretum accidentale Philoſophus.

Denominatio duplex, ſcil: interna & externa.

Denominatio interna, eſt appellatio deſumpta ab aliquo intrinſeco, ut eſſe cognoſcitivum eſſe album, &c. & reſolvitur per habens.

Denominatio externa eſt appellatio deſumpta ab aliquo extrinſeco, ut eſſe amatum, cognitum, &c. & reſolvitur per terminans.

CAPUT SECUNDUM,
Diviſiones Antepredicamentales.

HIc Ariſtoteles duas affert diviſiones; ſcilicet diviſionem vocabulorum, & diviſionem entium.

Prima diviſio hæc eſt, eorum quæ dicuntur:

Alia ſunt incomplexa, quæ ſcilicet unico vocabulo explicantur, ut Lapis.

Alia complexa, quæ pluribus vocabulis efferuntur, ut mixtum difficulter liquefactibile.

Secunda diviſio hæc eſt, eorum quæ ſunt,

Alia ſunt ſubſtantiæ univerſales, ut homo, equus, &c.

Alia ſunt ſubſtantiæ ſingulares, ut Alexander, Bucephalus, &c.

Alia ſunt accidentia univerſalia, ut Philoſophus, robur.

Alia ſunt accidentalia ſingularia, ut Philoſophia Platonis, robur Bucephali.

CAPUT TERTIUM.

Regulæ Antepraedicamentales.

DUas hîc affert Aristoteles regulas.

Prima est: quidquid convenit prædicato (supple primò intentionaliter, essentialiter, aut tanquam proprietas) convenit & subjecto. Sic quia veræ sunt hæ propositiones, Petrus est homo, Petrus est Philosophus; quidquid convenit prędicatis, puta homini & Philosopho, convenit subjecto, puta Petro; unde quia homo est animal, & Philosophus doctus; convenit Petro, ut sit animal, & doctus.

Dixi primò: Primò intentionaliter, hoc est verè: quia si quid competat secundò intentionaliter, hoc est mentaliter, prædicato, non debet propterea competere subjecto; unde licet homo sit species & tertiæ declinationis; licet Philosophia sit accidens, & fęminini generis, non sequitur propterea Petrum esse speciem, tertiæ declinationis, vel accidens, vel fęminini generis.

Dixi secundò essentialiter, aut tanquam proprietas, quia si quid prædicato competat, verè quidem sed contingenter, non debet propriũ competere subjecto; unde licet homo quod est prædicatum Petri in superiori propositione sit sanus, vel niger, non sequitur necessario, quòd Petrus sit sanus vel niger.

Secunda est, genera planè diversa, & non subordinata, diversas habent species & differentias, ut videre est in animali & scientia; si verò sint subordinata, possunt easdem habere; sic species animalis sunt quoque species viventis; & differentiæ quæ dividunt animal, dividunt quoque vivens.

CAPUT QUARTUM.

Definitio & Divisio Categoriæ.

CAtegoria seu Prædicamentum definitur, series naturalis generum, specierum, & individuorum, quæ sub aliquo supremo genere continentur; ut patet in scalâ Porphyrii, quæ est una Categoria.

Triplex est modus, quo aliquid potest pertinere ad aliquam Categoriam: scilicet Directè, indirectè seu collateraliter, & reductitiè.

Directè ponuntur in Categoria species genera & individua.

Indirectè ponuntur differentiæ, quæ scilicet à latere collocantur.

Reductivè ponuntur in Categoria quęcunq; habent aliquam cum ente Categorico affinitatem, unde reductitiè ponuntur in Categoria.

Primò, partes omnes, quæ reducuntur ad suum totũ, ut manus ad hominẽ, anima ad vivẽs.

Secundò, privationes & negationes, quæ reducuntur ad formas, quarum sunt absentia, ut cæ-

ut cæcitas & negatio visûs, ad visum qui est directa in prędicamento qualitatis.

Tertiò deniq;, principia & mensuræ; ad ea quorum sunt principia vel mensuræ; ut objectum formale ad habitum vel potentiam, & unitas ad numerum, si numerus ponatur in Categoria.

Ut aliquid ponatur directè in Categoria, sex requiruntur Conditiones hoc disticho expressę ens, verum, per se, incomplexum, Sinonymūq;, Completumq; capit schema Categoriæ.

Primò, ut aliquid ponatur in Categoria directè, debet esse ens; hinc privationes, negationes, & denominationes externæ, non sunt entia positiva:

Secundò, debet esse verum; hinc entia rationis & fictitia excluduntur à Categoriâ.

Tertiò, debet esse ens per se, hoc est unicæ naturæ; hinc entia per accidens, hoc est naturæ multiplicis, exulant à Categoriâ.

Quartò, debet esse incomplexum, hoc est unico complexum vocabulo, hinc complexa locum non habent in Categoria.

Quintò, debet esse sinonymum; hoc est univocum, ut à Categoriâ excludantur æquivoca, & Analoga.

Sextò denique, debet esse completum, quia partes reductitiè tantū pertinent ad categoriā.

Decem Categoriæ recensentur ab Aristotele, quæ solent his verbis exprimi:

Subst. quant. relatio, qualitas, actio, passio.
Arbor, sex, servos, ardore, refrigerat, ustos,
Ubi, quando, situs, habitus.
Ruri, cras, stabo, nec tunicatus ero.

SECTIO SECUNDA,
De Prædicamentis.

EX decem Categoriis prima est substantia, novem reliquæ sunt accidentia, ex quibus septem ultimæ sunt modi; quare hanc sectionem distribuemus in tria capita, quorum, Primum erit de Substantia. Secundum de Accidente. Tertium de Modo.

CAPUT PRIMUM,
De Substantia.

SUbstantia definitur ens per se substens, id est non indigens subjecto inhęsionis, ut Deus, Angelus, Homo, &c.

Subjectum inhęsionis est illud, quod cum forma sibi unita aliquam non componit naturam; unde corpus equi non est subjectum inhęsionis, sed informationis animæ equinæ, quia cum eâ quandam naturam componit, puta equinam.

Duplex hic substantia affertur ab Aristotele, scilicet: Prima seu singularis, & Secunda seu universalis.

Substantia prima est ea, quæ non potest prędicari de pluribus divisim, ut homo, animal.

Caput

CAPUT SECUNDUM.

De Accidente.

EGimus tractatu superiori de accidente, prout opponitur cuilibet prædicato necessario, hîc agimus de accidente prout opponitur substantiæ.

Accidens sic sumptum vulgò definitur Ens inhęrens.

Illud inhæret quod est in alio non tanquam pars alicujus naturæ, & non potest esse sine eo cui inhęret, saltem naturaliter.

Dividitur in Solidum & Modale.

Accidens solidum illud est, quod divinitùs conservati potest sine subjecto, ut color, odor, sapor.

Accidens modale illnd est, quod nequidem divinitùs conservari potest sine subjecto, ut digiti inflexio.

Accidens solidum ad summum duplex est, scilicet Quantitas, & Qualitas, de quibus duobus his articulis dicendum.

ARTICULUS PRIOR.

De Quantitate.

QUantitas est accidens, per quod respondetur ad quæstionem factam per quot vel quantum; juxta quam descriptionem.

Duplex est quant:tas, scilicet discreta, quâ respondetur ad quæstionem quot, & continua, quâ respondetur ad quæstionem quantum.

Quantitas discreta est ea, cujus partes communi vinculo non copulantur; & duplex est, scilicet Numerus & Oratio.

Numerus est determinata collectio unitatum ut trias, decas; unde unitas non est numerus, sed principium numeri.

Oratio hic, est quædam multitudo dictionum prolatarum.

Quantitas continua est ea, cujus partes communi vinculo uniuntur: & duplex est, scilicet, Permanens & Successiva.

Quantitas continua permanens est ea, cujus partes simul perseverare possunt aliquandiu,& dicitur magnitudo, quæ triplex est, scilicet linea, superficies seu area, & corpus seu solidú.

Linea est magnitudo longa tantùm.

Superficies est magnitudo longa & lata tantū.

Corpus Mathematicum est magnitudo longa, lata & profunda.

Quantitas successiva est ea, cujus partes in perenni statu positæ sunt, ita ut nunquam, simul permaneant. & duplex est,scilicet Motus, & tempus,

Motus est mutatio temporanea & successiva, hoc est quæ non instanti, sed tempore peragitur, ut ambulatio, calefactio, augmentatio.

Tempus est duratio motus, præsertim verò cælestis, vel potiùs solaris.

ARTICULUS POSTERIOR.
De Qualitate.

QUalitas est accideus per qnod respondetur ad quæstionem factam per quale.

Aristoteles dividit qualitatem in quatuor species bimembres & binomines, scilicet in Habitum & dispositionem, potentiam & impotentiam, patibilem, qualitatem & passiouem, formam & figuram.

Prima species qualitatis (id est habitus & dispositio) est qualitas bene vel malè disponens subjectum, aut secundùm se ipsum, aut in ordine ad operationem. Definitur à vulgò Philosophorum, qualitas potentiæ adveniens, eam facilitans ad operandum, quales sunt artes & scientiæ.

Definitur ab aliis qualitas insensibilis, adventitia est insensibilis, inquiunt, quia sensibus non percipitur; in quo differt à tertia & quarta specie; est adventitia, quia non fluit spontè à natura, sed vel labore comparatur si sit habitus naturalis, vel à Deo infunditūr si sit habitus supernaturalis; & per hanc particulam prima species differt à secunda quæ fluit à natura.

Habitus ergo duplex, scilicet naturalis, qui proprio marte comparatur, de quo in moralibus & supernaturalis qui à Deo infunditur.

Habi-

Habitus supernaturalis, vel est supernaturalis quoad substantiam, qui scilicet aliter non potest obtineri quam per infusionem ut fides divina: vel est supernaturalis quo ad modum tantùm, qui ita à Deo infusus est, ut potuisset natnraliter obtineri, qualis est Philosophia Adami.

In hoc differunt habitus & dispositio, quòd habitus sit robustus & difficile mobilis à subjecto, ut scientia perfecta; dispositio verò sit infirma & facilè mobilis à subjecto, ut scientia inchoata.

Secunda species qualitatis (id est Potentia & Impotentia) est qualitas à natura data, vel ad agendum, vel ad resistendum, vel ad patiendum, ut intellectus, durities, liquefactibilitas.

In hoc differunt potentia & impotentia, quòd potentia sit fortior, ut visus in juvene; impotentia verò debilior, ut visus in decrepito sene; unde impotentia apud Philosophos non significat negationem potentiæ, sed ejus debilitatem.

Tertia species qualitatis (id est patibilis qualitas & passio) definitur qualitas unico sensu externo perceptibilis, ut color, sonus, odor, sapor.

In hoc differunt qualitas patibilis & passio, quòd patibilis qualitas diu duret ut pallor ex temperamento; passio verò citò transeat, ut pallor ex metu.

Quarta ſpecies qualitatis (hoc eſt forma & figura) eſt qualitas exteriùs determinans quantitatem, ut rotunditas.

In hoc differunt forma & figura quod forma dicatur de corporibus naturalibus, figura verò de artificialibus & Mathematicis; Sic rotunditas cæli, forma eſt; rotunditas verò pilæ vel globi Mathematici, figura. Hinc ſtatuæ & ſchemata Mathematica vulgò vocantur figuræ.

CAPUT TERTIUM.
De Accidente Modali.

MOdus in genere eſt forma quędam, ſine quâ ſubjectum eſſe poteſt, licet ipſa ne quidem divinitùs poſſit eſſe ſine ſubjecto, ut inflexio digiti, ſimitas naſi. In hoc tantùm differt modus ab accidente Phyſico, qnod accidens Phyſicum poſſit divinitùs conſervari ſine ſubjecto; modus verò ne quidem per abſolutam Dei potentiam poſſit coſnervari ſine re modificata, ut patet in ſuperioribus exemplis.

Modi dividuntur in Tranſcendentales, qui directè non ponuntur in Categoriâ, ut unio & ſubſiſtentia: & in Categoricos, qui in aliqua ſpeciali Categòria collocantur, quales ſunt ſeptem ultimæ Categoriæ, de quibus deinceps.

ARTICULUS PRIMUS.
De Relatione.

RES omnes aut ſunt abſolutæ, aut relativæ. Res abſolutæ ſunt eæ, quæ ſine aliis con-

cipi possunt, ut Petrus, homo: dicuntur absolutæ quasi ab alio solutæ.

Res relativæ sunt eæ, quæ non possunt concipi sine aliis, ut discipulus, filius, servus, &c.

Relatio est ordo seu respectus & habitus subjecti ad terminum.

Relatio latissimè sumpta dividitur in Realem & rationis.

Relatio realis est ea quæ est vera, ut paternitas, Adam.

Relatio rationis est ea, quæ non est vera, ut paternitas putativa Sancti Josephi.

Relatio realis dividitur in Increatum. qualis est paternitas divina, & in creatam qualis est humana paternitas.

Relatio realis creata dividitur vulgò in Transcendentalem & Categoricam.

Relatio transcendentalis est ea, quæ est suo subjecto essentialis, ut relatio scientiæ ad objectum.

Relatio Categorica definitur vulgò relatio accidentalis suo subjecto, ut maternitas:

In relatione Categorica quatuor sunt annotanda, scilicet Subjectum, Terminus, Fundamentum proximum, & fundamentũ remotum.

Subjectum relationis est id, in quo relatio esse cõcipitur, sic Adamus est subjectũ paternitatis.

Terminus est id ad quod relatio refert suum subjectum, ut Abel est terminus paternitatis Adamicæ.

Funda-

Fundamentum remotum, (quod ſolùm intelligitur nomine fundamenti) eſt radix relationis, quâ tamen poſita nondum præcisè ponitur relatio, ſic potentia generativa Adami, fuit fundamentum ejus paternitatis remotum,

Fundamentum proximum eſt conditio ad relationem requiſita quâ poſita ſtatim ponitur relatio, unde vulgò vocatur ratio fundandi: ſic generatio Adami fuit proximum fundamenrum illius paternitatis.

ARTICULUS SECUNDUS.

De Actione,

ACtio hic eſt accidens, à quo res denominatur agens vel efficiens, ut intellectio, calefactio.

Actio dividitur in Immanentem ſeu internam, & tranſeuntem ſeu externam.

Actio immanens eſt ea, quæ nihil producit extra agens, ut cognitio, appetitio.

Actio tranſiens eſt ea, quæ producit aliquid extra agens, ut calefactio, ſcriptio, &c.

ARTICULUS TERTIUS.

De Paſſione.

PAſſio eſt accidens à quo res denominatur patiens ſeu recipiens, ut vapulatio,

Pati itaque apud Philoſophos idem eſt ac recipere; proindeque æquè ſumitur in bonam ac in malam pattem.

ARTICULUS QUATUS.
De Ubi.

VBi est accidens per quod res constituitur in loco.

Duplex est, scilicet Ubi circumscriptivum & definitivum. (Nam ubi repletivum quod convenit Deo, quo nimirùm omnia replet spatia; nec accidens est, nec tam est ubi, quàm ubique.)

Ubi circumscriptivum est illud, per quod res ita est in loco, ut variæ illius partes variis loci partibus correspondeant; quale est ubi naturale Corporeum.

Ubi definitivum est illud quod res est tota in toto loco, & tota in qualibet parte loci; quále est ubi rerum spiritualium.

ARTICULUS QVINTVS.
De Quando.

QVando est accidens per quod res est in tempore: unde æternitas divina non est quando, quia non est accidens.

Breviùs quando est duratio rei creatæ.

Duratio est permanentia rei in suo esse, proindeque.

Durare est perseverare in suo esse; hinc instans non durat.

ARTICVLVS SEXTVS.

De Situ.

Situs est dispositio partium corporis viventis in ordine ad varias partes loci; ut statio, sessio.

Differt situs ab ubi, nam homo thedâ aut ñave vectus mutat ubi, licet sępè non mutet sitũ.

ARTICULVS SEPTIMVS.

De Habitu.

Habitus est Circumpositio Corporis utilis (hoc est vestientis aut ornantis) circa corpus animalis; ut esse tunicatum, coronatum, ornatum.

SECTIO ULTIMA.

De Postprædicamentis.

POstprędicamenta sunt quidam termini obscuriores, quibus usus erat Aristoteles in Categoriis, quos postea explicat.

Quinque Postprędicamenta ponit Aristoteles, scilicet opposita, modos prioris & posterioris, modos essendi simul, species motus, & modos habendi, de quibus in hac sectione.

CAPVT PRIMVM.

De Oppositis.

ENtia omnia aut sunt amica, quorum scilicet unum saltem exigit aliud, ut homo & ani-

& animal; aut inimica quæ simul in eodem esse non possunt, ut canis & equus; aut indifferentia, quæ nec sese exigunt, nec sibi invicem repugnant, ut scientia & probitas.

Entia inimica sunt disparata, aut opposita.

Disparata sunt ea, quæ ita inter se pugnant, ut non minus cùm alio diversæ naturæ pugnent ut equus & leo.

Opposita sunt ea, quæ ita inter se pugnant, ut simili modo non pugnent cum alio diversæ naturæ, ut calor & frigus.

Opposità quadruplicis sunt generis, scilicet contraria, relativa, privativa & contradictoria

Côntraria sunt duo positiva, quæ sub eodem subjecto mutuò sese expellunt; ut virtus & vitium, quæ sub genere habitus Moralis maximè distant. & vicissim se expellunt à Communi subjecto, scilicet à voluntate.

Relativa sunt ea, quæ ad se mutuò referuntur, ut Præceptor, & discipulus.

Privativa sunt forma, & privatio ejus.

Privatio autem differt à negatione, nam privatio definitur absentia formæ in subjecto apto, ut Cæcitas in homine.

Negatio verò absentia formæ in subjecto inepto, ut absentia visus in lapide.

Contradictoria sunt ens & negatio ejus, ut homo, non homo.

CAPUT

CAPVT SECVNDVM.
De Modo prioris & posterioris.

ALiquid potest esse priùs altero quinque modis, ex Aristotele hîc.

Primò, priùs tempore quod est antiquiùs, sic Aristoteles prior fuit nobis.

Secundò, priùs essendi consequentiâ, quod bene sequitur ex alio. licet aliud non sequatur ex ipso: Sic omne superiùs priùs est inferiori; v. g. animal homine. verè enim sequitur, quod si quid sit homo, sit quoque animal, non autem quod si sit animal, sit homo.

Tertiò. priùs ordine quod prçcedere debet, licet non sit dignus, sic major prior est conclusione.

Quartò, priùs dignitáte, quod est nobiliùs, sic homo prior est bruto.

Quintò, denique priùs natura seu Causalitate; sic quçlibet Causa prior est suo effectu, propter dependentiam effectûs ab ipsa.

Totidem modis dicitur posteriùs ac priùs, quia oppositorum opposita est ratio, & relativa tot modis dicuntur.

CAPVT TERTIVM.
De Modis Essendi simul.

SImul potest totidem modis dici ac priùs; attamen Philosophus tres tantùm hîc recenset modos, quibus aliqua possint esse simul.

Primò

Primò, simul Tempore, quæ simul producta sunt, ut duo gemelli.

Secundò, simul natura, quæ ita reciprocantur, ut neutrum sit causa alterius, ut duo relativa, v. g. Dominus & servus.

Tertiò, simul divisione, quæ sunt membra ejusdem totins, ut rationale & irrationale; ynæ simul dividunt animal.

CAPVT QVARTVM.

*De Speciebus motûs*l

MOtus latè sumptus est transitus àb uno statu ad alterum, est sex ejus species hîc ab Aristotele statuuntur, scilicet Generatio, Augmentatio, Diminutio, Alteratio, & Latio seu motus localis.

Generatio est transitus à non esse substantiali ad esse substantiale.

Corruptio est transitús ab esse substantiali, àd non esse substantiale.

Augmentio est transitus à minori quantitatite ad majorem.

Diminutio est transitus è majori quantitate ad minorem.

Alteratio est transitus ad qualitatem, ut Calefactio, frigefactio.

Latio est iransitus à loco ad locum,

CAPVT VLTIMVM.

De Modis habendi.

OCto modos habendi hîc enumerat Aristoteles, quorum Primus

Primùs, eſt habere qualitatem, ût ſcientiam, virtutem.

Secundus, habere quantitatem, v. g. altitudinem ſex pedum,

Tertius, habere veſtem, vel ornamentum, v. g. tunicam, coronam.

Quartus, habere in parte, ût annulũ in digito

Quintus habere partem, ut manum, pedem.

Sextus, habere inſtar vaſis, quomodò modius habet triticum, & amphora vinum.

Septimus, habere per dominium, ut domum, agrum.

Ultimus habere correlatum quomodò amicus dicitur habere amicũ, prçceptor diſcipulos

TRACTATUS TERTIUS.

De Definitione & Diviſione.

DEfinitio & diviſio ſunt quędam orationes Logicæ. Principia autem orationis Logicæ, ſunt nomen & verbum.

Nomen & verbum ſunt voces: voces ſunt termini; Termini ſunt ſigna quędam: ideò de his omnibus priùs agendum eſt, quàm de Definitione & Diviſione.

CAPUT PRIMUM.

De Signo.

SIgnum eſt illud, quod potentiæ cognoſcenti aliud à ſe reprçſentat,

Dividitur primò, ratione modi significandi in Instrumentale & formale.

Signum instrumentale definitur à sancto Augustino principiorum Dialecticæ capite tertio, quod seipsum sensui, & prçter se aliquid animo ostendit; & secundò de doctrinâ Christianâ cap. 1. quod prçter speciem quam ingerit sensibus, aliqnid aliud facit in cognitionem venire, id est quod priùs cog itum ducit nos in cognitionem alterius; unde etiam vocatur medium cognitum sic hedera appensa est signum instrnmentale vini vçnalis.

Signum formale est illud, quod incognitum ducit nos in cognitionem alterius, unde etiam vocatur medium incognitum: sic species visibiles non visæ, juvant ad videnda objecta.

Dividitur secundò; ratione suæ causæ, seu significationis, in Naturale & arbitrarium.

Signum naturale est, quod ex natura sua significat quod significat; sic gemitus est signum naturale doloris, & fumus ignis: hoc signum idem est semper & ubique.

Signum arbitrarium illud est, quod ex instituto alicujus intelligentis (id est Dei, Angeli vel hominis) significat id quod significat, ut hedera appensa respectu vini vçnalis, & hoc signum non est semper idem & ubique.

Dividitur tertiò ratione officii, in Suppositivum seu Personale, & manifestativum tantùm seu impersonale.

Signum

Signum ſuppoſitivum illud eſt, quod ſumitur pro re ſignificata v. g. Legatus pro rege.

Signum manifeſtativum tantum illud eſt, quod non ſumitur pro re ſignificata, ut hedera reſpectu vini vęnalis.

Dividitur quartò ratione ſuæ virtutis, in Speculativum & Practicum.

Signum ſpeculativum eſt id quod non facit id quod ſignificat: ut hedera reſpectu vini.

Signum Practicum illud eſt quod facit id quod ſignificat, ut Sacramenta Evangelica reſpectu gratiæ.

Dividitur quintò ratione rei ſignificatæ, in Rememorativum; demonſtrativum; & prognoſticum.

Signum Rememorativum illud eſt, quod ſignificat rem pręteritam., ut trophæum reſpectu victoriæ.

Signum demonſtrativum illùd eſt, quod ſignificat rem præſentem, ut hedera reſpectu vini vænalis.

Signum Prognoſticum illud eſt, quod ſignificat rem futuram, ut Iris pluviam.

Dividitur ultimò ratione rei ſignificantis, in reale ſeu Phyſicum; & intentionale ſeu Logicũ.

Signum reale illüd eſt, quod diſtinctum à terminis rem aliam ſignificat, ut fumus ignem.

Signum Logicum eſt terminus ſignificativus, de quo capite ſequenti.

CAPVT SECVNDVM.

De Terminis

TErminus primi priorum primo definitur, id in quod resolvitur Propositio tanquam in prędicatum & subjectum.

Breviùs, terminus est pars propositionis, seu extremum propositionis.

ARTICULUS PRIOR

De Divisione Termini.

EX superiori Aristotelis definitione patet, Terminum secundùm se dividi in prędicatum, & subjectum, de quibus dicemus parte secunda.

Multæ sunt aliæ Termini divisiones, quæ ut ordinatè retineantur.

Notandum est terminum posse dupliciter spectari: primò absolutè seorsim & secundùm sè: secundò relativè & comparativè ad alterum.

PARAGRAPHUS PRIOR.

De Divisione Termini, absolutè spectati.

OBserva terminum absolutè spectatum dividi posse tripliciter. Primò Ratione rei significantis, seu materiæ. Secundò Ratione rei significatæ seu formæ. Tertiò, Ratione modi significandi.

PUNCTVM PRIMVM

De Divisione Termini ratione Materiæ.

Term

TErminus ratione rei significantis dividitur in Terminum mentalem, vocalem & scriptum. (Terminus enim Logicus, vel est Conceptio, vel vox, vel scriptura, quæ vox designatur.) Terminus mentalis subdividitur in Vltimatum qui est Conceptus vocis & rei, & non ultimatum qui est Conceptus vocis tantùm

Terminus tum mentalis, tum vocalis, tum scriptus, vel est significativus ut homo, vel non significativus, ur blictri.

Terminus Significativus vel est complexus qui multis vocabulis effertur, ut Deus Sanctus: vel incomplexus, qui unico vocabulo exprimitur. ùt Deus.

PUNCTUM SECUNDUM.

De divisione termini ratione formæ.

TErminus ratione rei significatæ dividitur in terminum primæ intentionis, & terminum secundæ intentionis.

Terminus primæ intentionis ille est, qui significat aliquid independens à reflexione mentis, ut Deus, chimæra.

Terminus secundæ intentionis ille est, qui significat aliquid dependens à reflexione mentis, seu est aliquod attributum doctrinale, v. g. Grammaticale vel Logicale, competens rei cognitæ, eo ptęcisè quod priùs cognita

cognita sit, ut masculinum genus, prima declinatio, subjectum, prędicatum, &c.

Terminus primæ intentionis subdividitur in positivum & negativum.

Terminus positivus ille est, qui significat aliquid ponens quidpiam in rerum natura, ut Deus, homo, &c.

Terminus negativus ille est, qui rem non significat sed absentiam rei; & is duplex est, scilicet merè negativus seu infinitans, cui præfigitur particula Non, ut non Deus, non homo, &c. & privativus, qui significat absentiam rei in subjecto apto, ut cęcitas, tenebræ, &c.

Terminus positivus subdividitur in absolutum & relativum.

Terminus absolutus ille est, qui rem significat ab alia solutam seu cognoscibilem sine alia, ut homo.

Terminus relativus seu respectivus ille est, qui rem significat cum alia, ita cognoscibilem, ut sine ea cognosci non possit; ut pater qui non potest cognosci sine filio.

Terminus tum absolutus, tum relativus subdividitur in Singularem & Communem.

Terminus singularis est ille, qui rem unicam numero significat, idq; vel nomine proprio, ut Aristoteles: vel demonstrativo, ut ille Philosophus; vel vago ut aliquis Philosophus; vel periphrastico ut Peripateticorum prin-

princeps; vel Antonomaſtico; ut Philoſophus; vel Hypothetico ut Prçceptor Alexandri magni, ex Hippotheſi ſcilicet, quòd Alexander magnus unicum habuerit Prçceptorem.

Communis terminus ille eſt, qui multa ſignificat, ut exercitus, homo, &c. eſtq; duplex, ſcilicet Collectivus, & Diſtributivus.

Terminus Collectivus ille eſt, qui ita multa ſignificat, ut de ſingulis dici non poſſit in recto caſu; ut exercitus, reſpublica; nam dici non poteſt, quòd Alexander ſit exercitus aut reſpublica, ſed tantùm reipublicæ & exercitus pars & caput.

Terminus diſtributivus ille eſt, qui ita multa ſignificat, ut de ſingulis in recto prædicari poſſit: ut homo, canis.

Terminus diſtribütivus ſubdividitur primo in univocum, æquivocum & analogum.

Terminus univocus, eſt qui ſignificat res planè ſimiles, ut homo.

Terminus æquivocus eſt, qui ſignificat res plane diverſas, ut Gallus.

Terminus Analogus eſt, qui ſignificat res partim ſimiles, partim diſſimiles, ut Pes.

Terminus Diſtributivus dividitur ſecundo in Cathegoricum, tranſcendentalem, & ſupertranſcendentalem.

Terminus Categoricus ille eſt, qui de multis non tamen de omnibus dicitur: quales ſunt

Termini omnes, qui directè ponuntur in Categoria, demptis individuis.

Terminus transcendentalis ille est, qui dicitur de omnibus plane rebus.

Sex vulgò afferuntur Termini transcendentales, scilicet Ens, unum, verum, bonum, res, aliquid.

Terminus supertranscendentalis ille est, qui non tantum de omnibus entibus, sed etiam de non entibus dicitur, ut excogitabile.

PVNCTVM TERTIVM.

De divisione Termini ratione modi significandi.

TErminus ratione modi significandi dividitur, in Categorematicum seu significativum, Syncategorematicum seu consignificativum, & mixtum.

Terminus Categorematicus est ille, qui solus aliquid significat, ut homo, lapis.

Terminus Syncategorematicus ille est, qui non solus significat, sed cum alio, ut omnis, aliquis.

Terminus mixtus ille est, qui constat Syncategorematico, & Categorematico, ut nemo idem sonans ac nullus homo.

Terminus Categorematicus subdividitur, in Concretum & abstractum

Terminus Concretus est ille, qui significat subjectum & formam; unde resolvitur per ly

habens

ly habens, ut homo habens humanitatem, album habens albedinem.

Terminus abstractus est ille est, qui solam formam significat, ut humanitas, albedo, &c.

Concreta & abstracta duplicis sunt generis, scilicet Physica & Metaphysica.

Abstracta Physica sunt formæ realiter distinctæ à suis subjectis, ut anima, albedo. &c.

Abstracta Metaphysica sunt formæ realiter indistinctæ à suis subjectis, ut humanitas, albedineitas.

Concreta Metaphysica sunt ea, quorum abstracta à suis subjectis realiter non differunt ut homo, albedo.

Concreta verô Physica sunt ea, quorum abstracta à suis subjectis differunt realiter, ut album, animatum.

Terminus Concretus subdividitur in absolutum seu substantivum, & connotativum seu Paronymum denominativum vel adjectivum.

Terminus absolntus est terminus concretus, cujus forma est essentialis, ut homo, rationale, sensitivum.

Terminus Connotativus est terminus concretus, cujus forma est accidentalis, ut albus, Poëta, Philosophus. Et hic terminus dicitur etiam à Logicis paronymus seu denominativus & adjectivus. (Vbi obiter notabis adjectiva Dialectica non confundenda cum Grammaticis.

 Para-

PARAGRAPHVS POSTERIOR.

De Divisione terminorum comparativè sumptorum.

DVm duo Termini simul conferuntur, vel sunt pertinentes, vel impertinentes, supple ad ratiocinandum.

Termini impertinentes sunt illi, qui nec amicitiam habent nec inimicitiam, ut Doctus, Pius.

Termini Pertinentes sunt termini amici, vel inimici.

Termini amici sunt illi, quorum saltem unus bene sequitur ex alio; unde dicuntur pertinentes sequela; & illi vel sunt Reciproci, vel non reciproci.

Termini reciproci seu convertibiles sunt illi, qui de se mutuo universaliter affirmari possunt, ut rationale & risivum; & hi Termini in Syllogismo habent ad invicem mutuam rationem antecedentis & consequentis, unde etiam vocantur retro vicissim euntes.

Termini non reciproci sunt illi, quorum unus latiùs patet altero; proindeque dicitur superior & consequens, ex eo quod bene sequatur ex inferiori, qui propterea dicitur antecedens; sic animal est terminus superior & consequens respectu hominis.

Termini inimici sunt illi, quorum unus repugnat alteri; unde dicuntur pertinentes re-

pugnantia & repugnantes; & illi vel ſunt diſparati, vel ſunt oppoſiti; de quibus in Poſtprędicamentis.

ARTICULUS POSTERIOR.
De affectionibus Terminorum.

AFfectiones Terminorum novem ſunt: ſcilicet Snppoſitio, ſtatus, diſtractio, ampliatio, reſtrictio, diminutio, alienatio, appellatio & reduplicatio: quarum prima competit termino ſecundùm ſe; tres ſequentes ratione temporis; quinque poſtremæ ratione alterius termini adjuncti.

PARAGRAPHUS PRIMUS.
De Suppoſitione.

SUppoſitio eſt acceptio ſeu valor termini, ſicut ſuppoſitio calculorum in computatione, eſt valor calculorum.

Suppoſitio duplex eſt, ſcilicet Materialis & Formalis.

Suppoſitio Materialis eſt acceptio Termini pro ſeipſo. non pro ſignificato, hoc eſt, pro Materia Termini, non pro forma; ſic in hac Propoſitione Deus eſt nomen, Deus ſupponitur Materialiter. Termino Materialiter ſumpto pręfigi ſolet Articulus Gręcus, particula barbara ly.

Suppoſitio formalis eſt acceptio termini pro forma Termini, ſeu pro re ſignificata; ſic in

hac Propositione, Deus est omniporens, ly Deus supponit formaliter.

Suppositio formalis vel est Propria, cùm vox sumitur in proprio significatu, seu pro his rebus propter quas inventa est, (ut loquitur sanctus Augustinus secundi de doctrinâ Christiana decimo,) ut homo ridet; vel Impropria, cùm vox sumitur Metaphoricè, ut in hac propositione, prata rident.

Suppositio propria vel est singularis, quando vox denotat unicum individuum, ut Aristoteles: vel communis, quando vox sumitur pro pluribus, ut homo.

Supposirio communis quadruplex, scilicet Copulativa, disjunctiva seu determinabilis, confusa seu indeterminabilis, & distributiva.

Suppositio copulativa est positio termini communis pro omnibus suis significatis simul, non autem seorsim sumptis; ut in hac propositione, Planetæ sunt septem.

Suppositio disjunctiva seu determinabilis est acceptio termini communis, pro aliquibus tantum inferioribus, quæ sub disjunctione facile determinari possunt, ut aliquis homo est doct⁹.

Suppositio confusa seu indeterminabilis est acceptio vocis communis pro aliquibus tantum inferioribus quæ determinari non possunt etiam sub disjunctione, ut in hac propositione, aliquis oculus est necessarius ad videndũ.

Suppo-

Suppositio distributiva est acceptio termini communis pro singulis, vel plerisque significatis; & triplex est, scilicet Pro singulis generum, pro generibus singulorum, & per commodam distributionem.

Suppositio distributiva pro singulis generum, est acceptio termini communis pro singulis etiam individuis, ut in hac propositione omne animal est mortale.

Suppositio distributiva pro generibus singulorum est acceptio termini cõmunis non pro singulis individuis, sed pro omnibus speciebus; ut in hac propositione, omne animal fuit in arca Noë.

Suppositio distributiva per commodam distributionem, est acceptio termini communis, cum aliqua restrictione, quæ satis intelligitur; ut in hac propositione, cælum omnia tegit, subaudiendum, præter se ipsum. notanda presertim triplex, suppositio termini seu vocis communis, scilicet Simplex, personalis & absoluta.

Suppositio simplexest acceptio vocis communis pro immediato tantum significato, hoc est pro solâ naturâ. Sic in hac propositione, homo est species, ly homo supponit simpliciter.

Suppositio personalis est acceptio termini communis pro mediato tantùm significato, hoc est non pro natura, sed pro inferioribus vel suppo-

suppositis ejus. Sic in hac propositione, homo est peccator, homo supponit personaliter.

Suppositio absoluta est acceptio termini communis tum pro immediato, tum pro mediato significato, hoc est tum pro natura, tum pro inferioribus seu suppositis ejus; sic in hac propositione, homo est animal, homo supponit absolutè.

PARAGRAPHUS SECVNDVS.

De Statu, distractione & ampliatione.

STatus est acceptio termini pro tempore per verbum denotato. Sic in hac propositione, dormiens non videt, dormiens idem est ac qui est dormiens non videt.

Distractio est suppositio termini pro alio tempore, quam per verbum designetur, ut cùm legitur in scripturis, cęci vident; vox cęci distrahitur ad aliud tempus, idem enim est ac, qui fuerunt cęci, vident.

Ampliatio est acceptio termini pro pluribus temporibus, quàm per verbum importetur; ut in hac propositione, justus remunerabitur, vox justus ampliatur idem enim est ac qui fuit justus, qui est justus, & qui erit justus, remunerabitur.

PARAGRAPHUS ULTIMUS.

De Cæteris Terminorum affectionibus.

REstrictio est limitatio significationis alicujus termini, per additionem alterius

ita ut non ampliùs significet; sic in hac propositione, homo justus salvabitur, vox justus restringit hominem.

Diminutio est exclusio aliquarum partium ejusdem totius per additionem alicujus particulæ, ut cùm dicitur, Æthiops est albus dentibus, cæteræ Æthiopis partes excipiuntur.

Alienatio est translatio termini à propriâ significatione ad Metaphoricam propter additionem alterius, ut cùm dicitur homo pictus, vòx pictus alienat hominem.

Appellatio tunc habet locum, cùm vox aliqua alteri suam significationem tribuit. Breviùs appellatio est denominatio unius termini ab alio, ut cùm dicitur Philosophus magnus; vox magnus appellat Philosophum; unde magnus dicitur terminus appellans, Philosophus verò terminus appellatus.

Appellatio duplex, scilicet materialis & formalis.

Appellatio materialis est, quando terminus appellâns applicat suum significatum supra materiale seu subjectum appellatum; ut in hac propositione, ille Philosophus est magnus; non est sensus illum esse magnum in Philosophia, sed eum qui est Philosophus; esse magnum hominem.

Appellatio formalis est cùm terminus appellans applicat suam significationem supra forma-

formale appellati, ut in hac propositione; Aristoteles erat magnus Philosophus; ly magnus, cadit supra Philosophum non supra Aristotelẽ.

Reduplicatio dẽnique est repetitio alicújus termini, quæ solet denotari sequéntibus particulis, quatenùs, in quantum, ut, prout, prçcisè, formaliter, ut sic. Porrò

Reduplicatio sumitur duobus modis, scilicet Specificativè & Reduplicativè. Tunc sumitur specificativè, quando vox repetita non est causa prçdicati, illam tamen in se continet; ut cùm dicitur, homo quatenùs homo sentit.

Tunc verò terminus sumitur reduplicativè, quando vox repetita est germana causa prçdicati; ut cùm dicitur, animal quatenus animal sentit.

CAPUT TERTIUM.

De Voce & speciebus ejus.

VOx est sonus, ore animalis prolatus per organa naturalia, cùm intentione clarè aliquid significandi, ut colligitur ex secundi de anima octavo.

Dicitur primò sonus, quæ particula tenet locum generis, reliquæ locum differentiæ.

Dicitur secundò, ore animalis prolatus, ut distinguatur ab aliis animalium sonis; v. g. à plausu manuum.

Dicitur terriò, per organa naturalia, ut vox distinguatur à sonis per artificialia instrumenta editis.

Additur denique, cum intentione clarè significandi, ut distinguatur à tussi.

Vox dividitur in Articulatam & non Articulatam.

Vox articulata ea est, quæ scribi potest, definitur à Sancto Augustino Principiorum Dialecticæ capite tertio, quæ comprehendi ab aliis potest; & capite quanto signum quod ab audiente potest intelligi à loquente prolatum. Unde quæ legimus, inquit, non verba sunt, sed signa verborum.

Vox inarticulata est illa, quæ literis non potest exprimi; unde dicitur ab Aristotele libro de interpretatione *àgrámmatos*.

Vox articulata alia est humana, quæ sermònem componit: alia belluina quæ non componit sermonem; quales sunt voces articulatæ Psitacotum & Picarum.

Vox humana apud Dialectos duplex tantum; scilicet, Nomen & Verbum, ex secundo capite de interpretatione; quia vox apud Dialectos est pars propositionis; hoc autem competere tantum potest nomini & verbo: hinc Sanctus Augustinus initio Categoriarum, sic scribit: Solas orationis partes auctore Aristotele, nomen & verbum debemus accipere; cęteræ verò compagines orationis potiùs, quàm ejus partes debent nominari.

Arti-

ARTICVLVS PRIOR, De Nomine.

NOmen definitur à Platone in Cratilo, instrumentum vim habens docendi, & distinguendi essentiam.

Definitur ab Aristotele secundo capite de interpretatione, Vox, ex instituto, significativa sine tempore, cujus nùlla pars separata significat, finita & recta.

Dicitur primò vox, quæ particula tenet locum generis nomini & verbo communis.

Dicitur secundò, ex instituto significans; hoc est ex alicujus arbitrio, in quo nomen differt à vocibus naturalibus, v. g. à risu & fletu

Dicitur tertiò sine tempore, hoc est, ita ut non inflectatur per differentias pręteriti, pręsentis & futuri, per quod nomen differt à verbo

Dicitur quartò, cujus nulla pars separata significat; supple id quod significabat antea conjuncta, (licet fortasse aliud significet, verbi gratia, Dominus & dominus,) ut nomen distinguatur ab oratione.

Dicitur quintò, finita, ut excludantur voces infinitæ, v. g. non homo, non Deus; quæ non sunt nomina saltem incomplexa, de quibus hîc est sermo.

Additur denique, recta, id est, Nominativi casus, quia nomen debet esse posse subjectum aut pręducatum propositionis: at cęteri casus

obliqui,

obliqui non possunt esse subjectum vel prędicatum propositionis; & proinde Philosophus hic dicit illos nō esse nomina sed casus nominū.

ARTICULUS POSTERIOR.

De Verbo.

VErbum definitur à Platone in Sophista, signum vocis actionibus impositum.

Definitur ab Aristotele de Interpretatione, vox, significans ex instituto, cum tempore cujus nulla pars separata significat: estq; nota eorum quæ de altero dicuntur, finita & recta.

Verbum dicitur primò significare cum tempore, id est significare aliquid & simul denotare, quo tempore illud fiat: in quo verbum differt à nomine. Hinc Augustinus capite ultimo principiorum Dialecticæ. Verba propriè nominata sunt, quæ per modos & tempora declinamus.

Dicitur secundò, Nota eorum quæ de altero dicuntur; nam solum verbum denotat quid dicatùr, facitque propositionem veram aut falsam, inquit Philosophus primo capite de interpretatione: hinc verbum à quibusdam derivatur à vero beando, quod verum palam proferre debeat, si credas August. loco citato.

Dicitur tertiò, finita hoc est Indicativum præsentis; nam propositio de pręsenti est mensura veritatis; cętera verbi tempora, cę-

teri modi, non tam verba sunt quàm casus verborum, ut loquitur Aristoteles hîc. Cęteræ particulæ patent ex definitione nominis.

Duplex est verbum, scilicet Substantivum, quod unicum est; scilicet sum, es, est; & adjectivum, quod in se implicitè continet nomen adjectivum; qualia sunt cętera verba; imò & verbum, sum, dum idem est ac existo.

CAPUT QUARTUM.

De Oratione.

ORatio tertio capite libri de Interpretatione definitur, Vox significans ex instituto; cujus aliqua pars separata significat, ut dictio; non autem ut affirmatio vel negatio.

Dicitur primò vox, licet multis constet vocabulis, qûia debet esse una secundùm sensum.

Dicitur secundò, cujus pars separata significat; ut distinguatur à nomine & verbo, quorum partes non significant sejunctæ quod significant conjunctæ.

Dicitur tertiò, cujus aliqua pars significat; non enim opus est ut omnes orationis partes significent, ut patet in hac propositione, Blictri est vox.

Additur, ut dictio: si enim cęteræ orationis pattes affirmarent aut negarent, jam non esset unica oratio, sed multiplex.

Oratio duplex est; scilicet Perfecta & Imperfecta.

Oratio

Oratio imperfecta est ea, quæ imperfectum sensum generat, & animum Auditoris suspensum detinet, ut, quos ego?

Oratio perfecta est ea, quæ perfectum sensum generat; ut Deus est bonus.

Oratio Perfecta alia est Enuntiativa, quæ verum vel falsum significat, & dicitur enuntiatio, de quâ secunda parte hujus Compendii; Alia non enuntiativa, quæ nec verum nec falsum significat, ut Oratio Imperativa, Optativa, &c.

Item oratio, vel est non Logica, quæ non habet vim manifestandi veritatem; vel est Logica, de quâ dicendum capite sequenti.

CAPVT VLTIMVM.

De Oratione Logica.

ORatio Logica est ea, quæ ex se manifestativa est veritatis: id est quæ vim habet manifestandi veritatem & intellectum scientificè convincendi; unde etiam dicitur instrumentum sciendi.

Oratio Logica quadruplex est, scilicet Definitio, Divisio, Argumentatio & Methodus.

Ex quibus Argumentatio pertinet ad tertiam mentis operationem; Methodus ad secundam; duæ priores ad primam: de quibus proinde hîc agendum est.

ARTICULUS PRIOR.

De Definitione.

DEfinitio latè sumpta est oratio aliquid explicans: & duplex est, scilicet definitio Nominis quæ propriè Ethymologia & notatio nominis appellatur; & definitio Rei, quæ sola meretur nomen definitionis.

Definitio Nominis est oratio vim vocis explicans; ut mentiri est ire contra mentem. Definitio rei est oratio Logica explicans naturam rei; & quadruplex est, scilicet Essentialis, Descriptiva, Causalis, & Accidentalis.

Definitio essentialis est ea, quæ naturam rei aperit per partes essentiales seu per causas internas essentiales; estq; duplex, scilicet

Physica, quę explicat naturam rei per partes seu per causas internas essentiales physicas, scilicet per materiam & formam, qualis hæc: Homo est compositus ex corpore organico & animâ rationali: &

Metaphysica, quæ explicat naturam rei per partes seu per causas internas essentiales metaphysicas; puta per genus & differentiam; qualis est hæc: Homo est animal rationale: & hujusmodi definitio est omniũ perfectissima.

Definitio descriptiva seu descriptio, est ea quæ explicat naturam rei per genus & per proprietatem loco differentiæ; qualis est hęc: Homo est animal admirativum.

Definitio causalis est ea, quæ explicat naturam rei per causas externas; qualis est hęc: Homo est creatura producta à Deo, ad imaginem ejus, propter beatitudinem æternam consequendam.

Definitio accidentalis ea, quæ rem explicat per collectionem accidentium; quorum plurima forsan pluribus competunt, omnia autem simul soli rei definitæ; quæ quales sunt omnes descriptiones Rhetorum.

Definitum est res cujus natura per definitiones explicatur: sic in superioribus definitionibus, homo est definitum.

Regulæ Communes cuilibet definitioni, tres sunt.

Prima est, ut sit brevis & duobus quantum fieri potest constet vocabulis.

Secunda, ut sit clara, quia debet explicare definitum.

Tertia, ut sit reciproca cum definito, id est, definito soli, omni & semper competat.

ARTICULUS POSTERIOR.

De Divisione.

Divisio latè sumpta, est oratio disttibuens continens in contenta.

Divisio duplex est? scilicet divisio Nominis quæ propriè distinctio nuncupatur; & divisio rei, quæ sola meretur nomen divisionis.

Divi-

Divisio Nominis, est oratio vocem ambiguam in sua significata distribuens; qualis est hęc: Canis vel est animal latrativum, vel pisci similis animali latrativo, vel sydus ardentissimum.

Divisio rei est oratio Logica distribuens totum in partes, unde tot sunt species Divisionis quot totius.

Totum est quod habet partes: unde Deus & Angeli non sunt tota propriè.

Duplex est Totum, scilicet Totum per se, & Totum per accidens.

Totum per accidens illud est quod non est unicæ Naturæ, ut Respublica & quodlibet opus artificiale.

Totnm per se illud est, quod est unicæ naturæ: & duplex est, scil: Potentiale & Actuale.

Totum Potentiale est, quod habet pertes sub se, quæ propterea vocantur partzs subjectivæ: quale est omne Universale respectu inferiorum suorum.

Totum actuale est illud, quod habet partes in se, & duplex est; scil: Essentiale & Integrale.

Totum Essentiale illud est, quod habet partes essentiales in se; estque duplex; scilicet Physicum & Metaphycum.

Totum Physicum est illud, quod habet in se partes Physicas, Materiam scilicet & Formam, quale est omne corpus naturale.

Totum

Totum Metaphysicum illud est, quod habet in se partes Metaphysicas, scilicet genus & differentiam, qualis est omnis species.

Totum integrale illud est, quod habet in se partes integrantes & entitativas (hoc est quarum aliquæ tolli possunt sine interitu totius) & duplex est, scilicet homogeneum seu similare, & heterogeneum seu dissimilare.

Totum homogeneum est illud, cujus omnes partes sunt ejusdem rationis cum suo Toto; ut vinum, aqua.

Totum heterogeneum illud est, cujus omnes partes non sunt ejusdem rationis cum ipso Toto; ut homo, equus, &c.

Itaq; omnis Divisio Logica vel est Totius per Accidens in suas partes, ut Divisio Exercitus in cohortes,turmas,&c. Vel totius potentialis in Partes subjectivas, ut generis in species, & speciei in individua : Vel Totius Physici in Partes Physicas ; hoc est corporis naturalis in materiam & formam : Vel totius Metaphysici in Partes metaphysicas, hoc est speciei in genus & differentiam: v. g. hominis in animal & rationale: Vel totius homogenei in partes similares; ut ligni in minora ligna; Vel denique totius heterogenei, in partes dissimilares & organicas, ut hominis v. g. in caput, truncum, & artus.

Res quæ dividitur, vocatur Divisum: ea

autem in quæ dividitur, vocantur membra dividentia. Sic cùm animal dividitur in hominem & brutum, animal est Divisum: homo verò & brutum sunt membra dividentia. Regulæ Divisionis tres sunt.

Prima est, ut membra dividentia sint opposita, hoc est ut unum non includatur in alio; defectu cujus conditionis non valet divisio animalis in rationale & natatile.

Secunda est, ut omnia membra dividentia simul sumpta cum Toto reciprocentur; defectu cujus conditionis non valet divisio animalis in rationale & hinnitivum.

Tertia est, ut membra sint immediata; sed hæc conditio requiritur tantum ad divisionem immediatam.

Itaque duplex est divisio: scilicet Immediata & Mediata.

Divisio Immediata est ea, inter cujus divisum & dividentia nihil intercipitur: qualis est divisio universalis in essentiale & accidentale.

Divisio Mediata est ea, inter cujus divisim & dividentia aliquid intercipitur; qualis est divisio Porphyriana in quinque Universalia, & Aristotelica in decem Categorias.

PARS

PARS SECVNDA
DE IIS QUÆ SPECTANT Ad JUDICIUM.

SEcunda Mentis Operatio, quæ Judicium vulgo dicitur, est operatio mentis aliquid dicens de aliquo, id est affirmans vel negans; assentiens vel dissentiens; annuens vel abnuens, seu operatio quâ mens fert sententiam de aliquo objecto.

Opus secundæ mentis operationis duplex est, scilicet Propositio & Methodus, de quibus hîc.

SECTIO PRIOR.
De Propositione.

PRopositio, seu Enuntiatio sic dicitur, quia proponit & enuntiat quod est in Mente. Appellatur ab Aristotele Interpretatio, quia est Interpres mentis.

Definitur cap. 4. de Interpretatione, Oratio verum vel falsum significans: & cap. 5. Vox significans aliquid esse vel non esse: & primi Priorum primo, Oratio affirmans vel negãs.

Accuratiùs definiri potest, Oratio judicativa, oratio interpretativa Judicij, oratio constans subjecto, prędicato & copula.

CAPUT PRIMUM,
De Partibus Propositionis.

IN propositione sicut in quolibet alio opere, duæ sunt partes, scilicet Materia & Forma.

Materia Propositionis duplex est: Remota & Proxma.

Materia remota Propositionis sunt res de quibus agit propositio.

Materia proxima propositionis, sunt termini quibus constat Propositio.

In omni Propositione duo sunt termini explicitè aut implicitè: scilicet Subjectum & Prędicatum. Copula verò non est terminus, sed unio terminorum.

Subjectum Propositionis est id, de quo loquitur Propositio; seu de quo aliquid affirmatur aut negatur.

Prędicatum, seu Attributum Propositionis est id, quod dicitur de subjecto. Copula est Unio prędicati cum subjecto, quæ exprimitur per Verbum substantivum, in qualibet Propositione implicitè vel explicitè contentum: Sic in hac Propositione, Deus est colendus, ly Deus est subjectum; ly colendus est prędicatum; ly est, copula nuncupatur.

Forma Propositionis est dispositio terminorum, quæ attenditur penes Copulam.

Caput

CAPUT SECUNDUM.
De Proprietatibus Propositionum.

PRoprietates propositionum seu Enuncitiationum duplicis sunt generis. Aliæ absolutæ quæ propositionibus solitariè spectatis competunt; aliæ relativæ, quæ competunt duabus Propositionibus secum invicem collatis.

Proprietates absolutæ propositionum duæ sunt, scilicet oppositio, æquipollentia, & Conversio: de quibus omnibus deinceps.

ARTICVLVS PRIMUS.
De Quantitate Propositionis.

PRopositionis quantitas est extensio ejus subjecti; unde Propositio ratione quantitatis dividitur in Universalem, Particularem, Indefinitam, & Singularem.

Propositio Vniversalis est ea, cujus subjecto præfigitur signum Vniversalitatis, quales sunt sequentes: Omnis homo est animal, Nullus homo est lapis.

Propositio particularis est ea, cujus subjectò prefigitur signum particularitatis, quales istæ; Aliquis homo est pius. Plerique homines sunt impii.

Propositio indefinita est ea, cujus subjectum est terminus Vniversalis nullo affectus signo unversalitatis aut particularitatis; quales sunt

 sequen-

ſequentes, homo eſt animal, homo eſt juſtus.

Propoſitio ſingularis eſt ea, cujus ſubjectum eſt aliquod individuum; ut Ariſtoteles erat Philoſophus.

ARTICULUS SECVNDVS.

De Qualitate Propoſitionis.

QValitas Propoſitionis duplex eſt, eaque complexa; puta qualitas eſſentialis, quæ potiùs eſt forma Propoſitionis quàm illius qualitas; ſcilicet, Affirmatio & Negatio: & qualitas accidentalis; ſcilicet, Veritas & Falſitas.

Vnde Propoſitio ratione Qualitatis eſſentialis dividitur in Affirmantem & Negantem.

Affirmatio definitur à Philoſopho cap. 6. de Interpret. Aſſertio alicujus de aliquo, ut Deus eſt juſtus.

Negatio definitur ab eodem ibidem: Remotio alicujus ab aliquò, ut Deus non eſt crudelis.

Ratione verò qualitatis accidentalis dividitur in veram & falſam.

Propoſitio vera eſt ea, quæ eſt conformis objecto, qualis eſt hęc, homo eſt animal.

Propoſitio falſa eſt ea, quæ difformis eſt objecto, qualis eſt hęc, homo eſt lapis.

Vnde veritas Propoſitionis eſt, cujus cum obje-

objecto conformitas, falsitas verò est ejus difformitas cum objecto.

Objectum Propositionis est id, de quo loquitur Propositio, ut homo, in superioribus Propositionibus.


ARTICULUS TERTIVS.

De Oppositione Propositionum.

OPpositio duplex est: scilicet simplex, seu incomplexa, quæ est oppositio rerum aut terminorum, de quâ egimus in Postpredicamentis; & complexa, quæ est oppositio propositionum, de quâ hîc.

Oppositio Propositionum definitur, Duarum Propositionum eodem subjecto & predicato constantium pugna, vel quoad quantitatem; vel quoad qualitatem, vel quoad utramque.

Quadruplex vulgò recensetur oppositio Propositionum, scilicet Contraria, Subcontraria, Subalterna, & Contradictoria, ut videre est in sequenti schemate.


Omnis homo est justus.
Contrariæ.
Nullus homo est justus.
Contra
Contra
Subalternæ.
Subalternæ.
dic
toriæ.
toriæ.
Aliquis homo est justus.
Subcontrariæ.
Aliquis homo non est justus.

Oppoſitio Contraria Propoſitionum, eſt pugna duarum Propoſitionum univerſalium quoad qualitatem tantum; qualis eſt inter has Propoſitiones: Omnis homo eſt juſtus, Nullus homo eſt juſtus.

Oppoſitio ſubcontraria eſt pugna duarum propoſitionum particularium, ſecundùm qualitatem ſolam; qualis eſt inter ſequentes propoſitiones; Aliquis homo eſt juſtus, Aliquis homo non eſt juſtus.

Oppoſitio ſubalterna eſt pugna duarum Propoſitionum penes ſolam quantitatem, qualis eſt inter has Propoſitiones: Omnis homo eſt juſtus; quidam homo eſt juſtus: & iſtas, nullus homo eſt juſtus: aliquis homo nõ eſt juſtus.

Oppoſitio contradictoria eſt pugna duarum Propoſitionum penes quantitatem & qualitatem: qualis eſt inter has, Omnis homo eſt juſtus, quidã homo nõ eſt juſtus: & inter illas, Nullus homo eſt juſtus. Quidam homo eſt juſtus. Porro hic nomine qualitatis intelligitur qualitas eſſentialis, hoc eſt affirmatio vel negatio at ratione veritatis vel falſitatis; quæ eſt qualitas propoſitionum accidentalis.

De Propoſitonibus oppoſitis ſequentia proferuntur axiomata.

Contrariæ Propoſitiones poſſunt eſſe ſimul falſæ, ut Omnis homo eſt juſtus: Nullus homo eſt juſtus; nunquam autem ſimul veræ.

 Subcon-

Subcontrariæ poſſunt eſſe veræ, ut Aliquis homo eſt juſtus, áliquis homo non eſt juſtus: nunquam autem ſimul falſæ.

Subalternæ poſſunt eſſe ſimul veræ & ſimul falſæ, ut Omnis homo eſt animal. Aliquis homo eſt animal; Item, Nullus homo eſt animal: Aliquis homo non eſt animal.

Contradictoriæ nec poſſunt eſſe ſimul veræ, nec ſimul falſæ, ut docet Philoſophus capite octavo de Interpretatione.

Hinc ſi habeatur ratio veritatis, duplex tantùm eſt oppoſitio propoſitionum, ſcilicet, Contraria, & Contradictoria, ex ſeptimo capite de Interpretatione.

ARTICULUS QUARTUS.

De Æquipollentia Propoſitionum.

ÆQuipollentia propoſitionum, eſt idem ſenſus propoſitionum priùs oppoſitarum, beneficio unius, alteriuſve Negationis.

Totum artificium Æquipollentiæ continetur hoc verſu:

Præ contradic, poſt contra, præ poſtque ſubalter.

Qui verſus tres continet Regulas Æquipollentiæ: quarum

Prima eſt ***præ contradic***; id eſt ut propoſitiones contradictoriæ reddantur æquivalentes, præfigenda eſt particula, ***non***, alterutri, ut patet in his exemplis.

Præ contradic

ſeu

Ne:

Negatio præfixa alterutri Propositioni.

Non omnis, idem est ac, aliquis non.
Nonnullus, idem est ac, aliquis.
Non aliquis, idem est ac, nullus.

Propositiones contradictoriæ.

Omnis homo est justus.	Aliquis homo non est justus.

Æquipollentia.

Non omnis homo est justus.	Aliquis homo non est justus.

Secunda Regula est, *post contra*; id est, ut Propositiones cōtrariæ aut subconttariæ æquipolleant, ponenda est particula, *non*, post alterutrius subjectum, ut patet in his duobus exemplis.

Post contra.

seu

Negatio postposita alterutrius Propositionis subjecto.

Omnis non, idem est ac, nullus.
Nullus non, idem est ac, omnis.
Aliquis non, idem est ac, non omnis.

Propositiones contrariæ.

Omnis homo est justus.	Nullus homo est justus.

Æquipollentia.

Omnis homo non est justus.	Nullus homo est justus.

Propositiones subcontrariæ.

Aliquis homo est justus.	Aliquis homo non est justus.

Æquipollentia

Aliquis homo non eſt juſtus. — Aliquis homo non eſt juſtus.

Tertia Regula eſt, *præ, poſtque, ſubalter*; id eſt, ut propoſitiones ſubalternæ reddantur æquipollentes, particula, *non*. bis ponenda eſt in alterutra : ſcil: ſemel ante, & ſemel poſt ſubjectum, ut patet in his duobus exemplis.

Præ poſtque ſubalter,

ſeu

Negatio, propoſitionis ſubjecto præpoſita, ſimul & poſtpoſita

Non omnis non, idem eſt ac aliquis.
Nonnullus non, idem eſt ac, aliquis non.
Non aliquis non, idem eſt ac, omnis.
Non aliquis non non, idem eſt ac, nullus.

PRIMUM EXEMPLUM.

Propoſitiones Subalternæ.

Omnis homo eſt juſtus. — Aliquis homo eſt juſtus.

Æquipollentia.

Non omnis homo non eſt juſtus. — Aliquis homo eſt juſtus.

Omnis homo eſt juſtus. — Non aliquis homo non eſt juſtus.

SECUNDUM EXEMPLUM.

Propoſitiones Subalternæ.

Nullus homo eſt juſtus. — Aliquis homo non eſt juſtus.

Æquipollentia.

Nonnullus homo nno est justus. | Aliquis homo non est justus.

Nullus homo est justus. | Non aliquis homo non non est justus.

ARTICULUS SECUNDUS.

De Conversione Propositionum.

CONversio est unius Propositionis per Terminorum transpositionem in alteram mutatio, retenta semper eadem qualitate, ut in hoc exemplo patet: Nullus homo est lapis: Ergo Nullus lapis est homo.

Unde in Conversione duæ sunt Propositiones; quarum una dicitur Conversa, quæ scilicet in aliam convertitur; altera Convertens; in quam alia convertitur. Sic in allato exemplo prior Propositio est conversa, posterior convertens.

Triplex est Conversio: scilicet simplex, per accidens, & per contrapositionem.

Conversio simplex est ea, in quâ servata eadem quantitate & qualitate, subjectum mutatur tantùm in prędicatum: qualis est hęc Conversio: Aliqu s homo est Philosophus: Ergo aliquis Philosophus est homo.

Convursio per accidens est ea, in quâ una Propositio convertitur in alteram, mutatâ quantitate, qualis hęc: Omnis homo est animâl, aliquod animal est est homo:

Conversio per Contrapositionem est ea, in quâ retentâ eadem quantitate & qualitate, termini infinitantur per particulam *Non*, ut in exemplo: Omnis homo est animal, Ergo omne non animal est non homo.

Vt cognoscatur quomodo quæque propositiones convertendæ sint, retinendi sunt in duo versus:

Feci simpliciter convertitur. eva per accid.
Ast o per contra, sic fit conversio tota.

Ad quorum Versuum intelligentiam hi duo alii versus tenendi sunt:

Asserit a, negat e verum generaliter ambæ,
Asserit i, negat o, sed particulariter ambo.

Quorum posteriorum versuum sensus est, vocalem a, denotare propositionem universalem affirmantem, scilicet omnis, vel omne: e, universalem negantem, scilicet nullus, nulla, nullum: i, particularem affirmantem, scilicet aliquis, vel aliquod: o, purticularem negantem. scilicet, aliquis non.

His positis sic explicandi sunt priores versus.

Feci simpliciter convertitur, id est; e & i, sive universalis negans & particularis affirmans converti potest simpliciter, ut Nullus homo est lapis: Ergo nullus lapis est homo, aliquis homo est Philosophus: Ergo aliquis Philosophus est homo.

Eva per accid. hoc est, e, & a, sive propo-

sitio-

ſitiones omnes univerſales, converti poſſunt per accidens, hoc eſt, mutando quantitatem, ut Nullus homo eſt lapis: Ergo aliquis lapis non eſt homo: Omnis homo eſt animal; Ergo aliquod animal eſt homo.

Aſt o per contra, hoc eſt, a & o, ſive propoſitio univerſalis affirmans, & particularis negans, poſſunt converti per contrapoſitionem, ut Omnis homo eſt animal: Ergo omne non animal eſt non homo. Quidam homo non eſt Philoſophus: Ergo quidam non Philoſophus non eſt non homo.

CAPUT ULTIMUM.

De Diviſione Propoſitionis.

DIviſio Propoſitionis duplicis eſt generis; alia facilior & clarior, alia difficilior, & & magis implicata.

ARTICVLVS PRIOR.

De clarioribus Diviſionibus Propoſitionum.

PRopoſitio capite quinto libri de Interpretatione dividitur ratione formæ ſeu eſſentiæ; in affirmantem & negantem, de quâ diviſione egimus Articulo ſecundo ſuperioris capitis.

Omnis Propoſitio debet eſſe identica, id eſt prędicatum cujuſcunque propoſitionis affirmantis debet identificari cum ſubjecto, alioqui falſa eſſet propoſitio: uſus tamen obtinuit, ut ea tantum propoſitio dicatur identica, cu-

jus prędicatum non eſt de eſſentiâ ſubjecti, ſed cum ea identificatur, qualis eſt iſta: album eſt dulce reſpectu ſacchari.

Illa verò propoſitio eſt formalis, cujus prędicatum eſt de eſſentiâ ſubjecti, quales ſunt ſequentes: Homo eſt animal, homo eſt rationalis, homo eſt animal rationale.

Propoſitio identica, vel eſt identica tum re, tum conceptu; qualis iſta, Miſericordia divina eſt principium parcendi, ut gladius eſt enſis, & dicitur nugatoria: vel eſt identica re tantum non conceptu.

Propoſitio identica re tantùm, vel eſt identica ratione ſolius ſubjecti, qualis eſt hęc, Album eſt dulce, quia idem eſt ſubjectum, quod eſt album, & quod eſt dulce, puta ſaccharum. Vel eſt identica ratione formæ.

Propoſitio identica ratione formæ, eſt ea, cujus prędicatum non eſt de eſſentia ſubjecti, ſed cum ſubjecto identificatur, qualis hęc, Divina juſtitia eſt miſericordia divina.

Dividitur ſecundò ratione materiæ remotæ, in neceſſariâm, impoſſibilem & contingentem.

Propoſitio neceſſaria eſt ea, quæ non poteſt eſſe falſa, ut homo eſt animal.

Propoſitio impoſſibilis eſt ea, quæ non poteſt eſſe vera, ut Homo eſt lapis.

Propoſitio contingens eſt illa, quæ poteſt eſſe vera & falſa, ut Homo eſt doctus.

Divi-

Dividitur tertiò, ratione materiæ proximæ hoc eſt terminorum, in propoſitionem de primo adjacente, de ſecundo adjacente, & de tertio adjacente.

Propoſitio de primo adjacente eſt ea, in qua verbum fungitur vocibus ſubjecti, prædicati & Copulæ, ut in iſtâ propoſitione, Loquor.

Propoſitio de ſecundo adjacente, eſt ea; in quâ verbum fungitur vicibus prędicati & copulæ, ut in hac, Petrus loquitur.

Propoſitio de tertio adjacente eſt ea, in qua diſtinctè reperiuntur ſubjectū, prædicatum & copula, ita ut verbum ſolius copulæ munūs obeat, ut patet in hac propoſitione, Petrus eſt loquens.

Dividitur quartò, ratione quantitatis, in univerſalem, particularem, indefinitam & ſingularem, de qua diviſione diximus, pagina 75. 76.

Notandum tamen eſt propoſitionès indefinitas in Syllogiſmo, cùm in materia neceſſaria aut impoſſibili ſunt, haberi univerſales, cùm verò ſunt in materia contingenti, particulares: unde hęc propoſitio, Homo eſt animal, idem ſonat ac iſta: Omnis homo eſt animal, hęc verò, Homo eſt juſtus, æquivalet iſti, aliquis homo eſt juſtus.

Dividitur quintò, ratione qualitatis, eſſentialis quidem, in affirmantem & negantem, accidentalis verò, in veram & falſam: de quibus ſupra, pagina 76. & 77:

Propositio potest esse vera in quadruplici sensu, scilicet in formali, quando prędicatum est de essentia subjecti, qualis est hęc, Homo est rationalis.

In sensu identico, quando prędicatum indentificatur cum subjecto, licet non sit de ejus cõceptu; qualis hęc, Justitia Dei est misericordia.

In sensu causali, quando effectus de causa prędicatur, vel causa de effectu, quales sequentes.

Christus est salus nostra, id est, salutis nostrę causa. salus nostra est Christus, id est, effectus Christi.

Et in sensu Connexivo, seu concomitativo, quando licet duo non identificentur, de se tamen mutuò prędicantur propter necessariam connexionem, quales sunt sequentes, Generatio unius est corruptio alterius, corruptio unius est generatio alterius.

Dividitur sextò ratione temporis, in propositionem, de pręterito, de pręsenti, de futuro, ut sunt, Studui, studeo, studebo.

ARTICULUS POSTERIOR.

De difficilioribus Propositionis divisionibus.

PRopositio ratione artificii, dividitur in Categoricam, & non Categoricam.

Propositio Categorica est ea, quæ simul est finita, absoluta & simplex.

Propositio non Categorica est ea, quæ vel est infinita, vel modalis, vel comdlexa; quod

ut intelligatur, notandæ sunt tres sequentes propositionis divisiones.

Propositio ratione finitudinis, aut infinitudinis terminorum, dividitur in finitã & infinitã.

Propositio finita est ea, cujus omnes termini sunt finiti, hoc est, non habent particulam, *non* sibi prefixã, qualis hęc, Homo est animal.

Propositio infinita, est ea, cujus aliquis saltem terminus infinitus est,; qualis hęc, Homo est non equus.

Cęterùm difficultas est in particula, *Non*, posita ante verbum, quia aliquando sumitur infinitanter, aliquando negativè: ad quod dignoscendum.

Observandæ sunt duæ sequentes regulæ.

Prima regula. Quoties particula, *non*, pręfixa verbo, sequitur relativum, qui, quæ, quod, toties sumitur infinitanter.

Secunda regula. Quoties particula, *non*, semel sumpta est infinitanter in Syllogismo, toties debet eodem modo sumi, quoties reperitur in Syllogismo, ne sint quatuor termini in Syllogismo.

Hæ duæ regulæ patent in sequenti Syllogismo: Qui non colit Deum, non erit salvus: atqui atheus non colit Deum; Ergo atheus non erit salvus.

In quo Syllogismo, ly non colit, infinitanter sumitur, in majore quidem propter primam regu-

regulam; in minore verò propter secundam: & in utraque propositione, non colit; idem est ac non colens; unde propositio secunda est affirmans proindeque bonus est Syllogismus, qui alioqui foret vitiosus, ut potè ex puris negantibus.

Dividitur propositio ratione modi, in absolutam & modalem.

Propositio absoluta est ea, quæ dicit tantum prędicatum convenire, aut non convenire subjecto, non autem modum quo conveniat; aut non conveniat, ut Homo est animal, homo non est lapis.

Propositio modalis est ea, quæ modum exprimit quo prędicatum convenit, aut non convenit subjecto, ut necesse est hominem esse animal, impossibile est hominem esse Plantam.

Quadruplex est propositio modalis, scilicet de necessario, de impossibili, de possibili & de contingenti, quia ex Aristotele primo & tertio de Interpretatione.

Quatuor sunt modi, scilicet necesse, impossibile, possibile, & contingens, quorum

Primus censetur universalis affirmans.

Secundo universalis negans.

Tertius particularis negant.

Notandum est quod aliud sit propositionem esse necessariam, impossibilem, contingentem; aliud esse de necessario, impossibili contingenti; nam

ti; nam ut propositio sit necessaria, v. g. non opus est, ut modus exprimatur, ut verò sit de necessario, contra. Unde hęc propositio, Homo est animal; est quidem necessaria, sed non de necessario.

In propositione Modali, duæ sunt partes, scilicet modus & dictum. Modus propositionis est aliquis Terminus ex quatuor supradictis expressus aut Nominaliter; aut Adverbialiter.

Dictum verò est propositio quæ foret absoluta sublato modo, sic in hac propositione, Necessariò homo est animal.

Modus est, ly necessariò, dictum verò, homo & animal:

Quantitas & qualitas propositionis modalis repeti debent ex modo, non ex dicto; unde hęc propositio, Possibile est nullum hominem existere, est particularis affirmans propter modum, licet dictum sit universale negans.

Porro omnis Proposisio modalis, ratione, Materiæ, vel est necessaria, vel Impossibilis, nulla verò contingens: nam hęc propositio, v. g. Contingens est hominem esse Philosophũ, licet sit de modo contingẽti, est tamẽ necessaria

Dividitur ultimò propositio quinto capite de interpretatione, in simplicẽ & complexam,

Propositio simplex est, ea, in qua unicum est subjectum, & unicum attributum, qualis est hęc, Petrus est Philosophus.

Propo-

Propoſitio complexa eſt ea, in qua duæ propoſitiones implicitè ſaltem continentur, ut Petrus & Paulus ſcribunt, quę propoſitio æquivalet his duabus, Petrus ſcribit, Paulus ſcribit.

Propoſitio complexa duplicis eſt generis, una clarè complexa, quæ à quibuſdam conjunctiva dicitur; alia obſcurè complexa; quę dicitur exponibilis.

Propoſitio conjunctiva eſt ea, cujus manifeſtè apparet compoſitio, & quintuplex, ſcilicet copulativa, disjunctiva, cauſalis, conditionalis ſeu hypothetica, & diſcretiva.

Propoſitio copulativa eſt ea, in quâ reperitur particula &, aut alia æquivalens, ut Ariſtoteles erat orator & Philoſophus.

Propoſitio disjunctiva eſt ea, in quâ reperitur particula vel, ut alia æquivalens, ut Petrus dormit, vel vigilat.

Propoſitio cauſalis eſt ea, in qua eſt particula, quia, aut rationem reddens, ut, quia ſol lucet, dies eſt.

Propoſitio conditionalis ſeu hypothetica eſt ea, in qua reperitur particula, ſi. aut alia ſupponens, ut ſi ſol lucet, dies eſt:

Hypotheſis vocatur Antecedens: quod verò ex Hypotheſi, ſeu ex ſuppoſitione ſequitur, dicitur ſequela ſeu conſequens, hinc illa Phraſis toties inter argumentandum decantata, falſum conſequens ergo & antecedens.

Ad ve-

Ad veritatem propositionis conditionatæ requiritur, ut consequens necessariò sequatur ex Antecedente.

Propositio discretiva est ea, in quâ reperitur particula quamvis, aut similis, ut quamvis subtilis non multùm studeat, evadet tamen doctus.

Propositio exponibilis est ea, quæ composita quidem est de pluribus, sed ita obscurè, ut prima fronte non appareat ejus compositio; unde dicitur exponibilis, quia scilicet exponi debet per duas clariores, quæ hanc ob rem dicuntur exponentes & expositoriæ, & hæc quintuplex est, scilicet exclusiva, exceptiva comparativa, reduplicativa, & inceptiva, cui opponitur desitiva.

Propositio exclusiva est ea, in qũâ reperitur particula, solus aut æquivalens, quæ sic exponi debet solus Iscariotes ex Apostolis damnatus est, hujus propositionis sensus est, Iscariotes est damnatus, cęteri Apostoli non sunt damnati.

Propositio exceptiva est ea, in qua reperitur particula præter, aut alia excipiens, ut Omnes Apostoli sunt salvi pręter Iscariotem, id est Iscariorites non est salvus, cęteri Apostoli sunt salvi.

Propositio comparativa est ea, in qua reperitur particula, magis, aut æquivalens, ut

Aristoteles erat ſubtilior Diogene, quæ ſic exponitur, Diogenes erat ſubtilis, Ariſtoteles erat tamen ſubtilior.

Propoſitio reduplicativa eſt ea, in qua reperitur particula, quatenùs, aut alia æquivalens, ut homo quatenùs homo eſt rationalis, & quicquid non eſt rationale, non eſt homo.

Propoſitio inceptiva eſt ea, in qua reperitur verbum inchoativum quoddam, ut luceſcit, quæ ſic exponi debet: nunc lucet & priùs non lucebat.

Propoſitio deſitiva eſt ea, in quá reperitur particula defitionem ſignificans, ut ceſſo ambulare, id eſt, priùs ambulabam & nunc non ampliùs ambulo.

Porrò ut propoſitio exponibilis ſit vera; requiritur ut ambæ propoſitiones exponentes ſint veræ, ut patet in ſuperioribus exemplis; unde hęc propoſitio, Æthiops eſt nigrior dæmone, non eſt vera, quia licet Æthiop s ſit niger, dæmon tamen non eſt niger, nec proinde nigrior, cùm comparativum ſupponat poſitivum.

SECTIO POSTERIOR.

De Methodo.

METhodus eſt oratio Logica, diſtribuens integram aliquam ſcientiam in ordinem rectum, & veritati manifeſtandæ accommodatum, &c.

Duplex est, scilicet Analytica seu resolutionis, & Synthetica seu compositionis.

Methodus Analitica est ea, quæ à toto ad partes procedit, qualem observabimus parte sequente, ubi priùs dicemus de argumentatione quàm de ejus speciebus.

Methodus synthetica est ea, quæ à partibus procedit ad totum, qualem observavimus primâ parte Tractatu tertio, ubi priùs egimus de partibus orationis, puta de Terminis, Nomine & Verbo, quàm de Oratione.

PARS VLTIMA
DE IIS QUÆ SPECTANT Ad DISCURSUM.

TErtiæ mentis operationis proprium est discurrere seu ratiocinari.

Omnia quæ ad discursum pertinent quinque Sectionibus complectemur. In quarum prima agemus de Consequentiâ in communi. In secunda de Syllogismo: in tribus ultimis de tribus Syllogismi speciebus; puta de Syllogismo demonstrativo, topico, & sophistico.

SECTIO PRIMA.
De Consequentia in Communi.

HUjus sectionis tria erunt capita; primum de essentia consequentiæ, secundum de regulis ejus, tertium de ejus divisione.

CAUT PRIMUM.

De Essentia Consequentiæ.

COonsequentiâ genericè sumpta est oratio unum ex alio inferens, ut sol lucet: ergo dies est.

In Consequentia tria sunt spectanda: Antecedens, Consequẽs, & Consequẽtia strictè sumpta.

Antecedens est id unde seqnitur alia propositio, ut in exemplo superiore. Sol lucet.

Consequens est ea propositio, quæ ex aliâ aliisq; sequitur, ut in eodem exemplo, Dies est.

Consequentia verò strictè sumpta est connexio consequentis cum antecedente, quæ solet exprimi per, ergo, igirur, itaque, &c. Unde

Confundi non debent Consequens & Consequentia, nam potest esse bona Consequentia, licet falsum sit Consequens, ut in hoc exemplo, Laurus est animal: Ergo Laurus est sensitiva. Et contra potest esse mala Consequentia, licet verùm sit Consequens, ut in hoc exemplo: Leo est animal, Ergo Leo est rugitivus.

Nota primò Consequentiam dici posse bonam aut malam cùm benè sequitnr aut malè ex antecedente, non autem veram aut falsam, cùm non habeat sensum; Consequens verò dici verũ aut falsum non autem bonũ aut malũ.

Nota secundo, Consequentiam non distingui cùm non habeat duplicem sensum, sed

tantum

tantùm concedi aut negari; Consequens contra non concedi aut negari, sed tantùm distingui: unde si quis ita argumentaretur; Deus non potest facere chimæras; Ergo Deus non potest facere omnia; sic esset respondendum: Deus non potest facere chimæras: Concedo antecedens, distinguo Consequens: Ergo Deus non potest omnia facere, quorum fabrica dicit imperfectionem: Concedo Consequentiam; Ergo Deus non potest omnia facere: quorum fabrica non dicit imperfectionem: Nego Consequentiam.

Consequentia potest esse bona dupliciter, scilicet ratione Materiæ & Formæ.

Tunc consequentia est tantùm bona ratione materiæ, quando de facto verum est consequẽs in materia de qua agitur; in alia tamen materia servato eodem artificio, ex antecedente verô potest sequi falsum consequens, unde hæc consequentia bona tanrùm est ratione materiæ.

Omnis homo est rationalis.

Ergo omne rationale est homo.

Quia de facto verum est consequens, nihilominùs servando eandem formam seu idem artificium, hoc est convertendo simpliciter propositionem universalem affirmantem in alia materia ex vero antecedente sequi posset falsum consequens, ut videre est in hoc exẽplo:

Omnis homo est animal.

Ergo omne animal est homo.

Tunc Consequentia bona est ratione formæ quando in qualibet materia servato eodem artificio nunquam ex vero antecedente sequi potest falsum consequens: sic valet hæc consequentia ratione formæ; Omnis homo est rationalis: Ergo aliquod rationale est homo. Quia in qualibet materia servato eodem artificio, hoc est convertendo per accidens universalem affirmantem, nunquam ex vero antecedente sequi potest falsum consequens.

CAPUT SECUNDUM, *De Regulis Consequentiarum.*

Quinque vulgò traduntur consequentiarum regulæ.

Prima. Ex vero nisi verum sequitur: at ex falso verum & falsum sequi potest, & sic ex hoc antecedente vero: Equus est animal: nihil nisi verum sequi potest; at ex antecedente falso, equus est arbor, sequi potest aliquid verum & falsum, nempe, ergo equus est vivens, ergo equus est planta.

Ex hac regula manavit ista phrasis toties inter argumentandum decantata: falsum consequens; ergo & antecedens.

Secunda: Quidquid stat cum antecedente, stat quoq; cum consequente; non contra, sic

quicquid

quicquid poteſt convenire homini, convenire etiam poteſt animali, quod eſt conſequens hominis; at quicquid convenire poteſt animali, non propterea convenire poteſt homini, qui eſt antecedens animalis; nam animal v. g. poteſt eſſe rugiens, non poteſt homo.

Tertia. Ex quo ſequitur antecedens, ſequitur & conſequens, non contra; ſic quicquid inſervit ad probandum hominem eſſe animal, inſervit quoque ad probandum hominem eſſe vivens; ſed quicquid inſervit ad probandum hominem eſſe vivens, non probat hominem eſſe animal: ſic ex hoc antecedente, homo eſt vegetativus; benè ſequitur, ergo homo eſt vivens: non autem homo eſt animal.

Quarta. Quicquid repugnat conſequenti, repugnat & antecedenti, non contra: ſic quicquid repugnat animali, repugnat homini, quicquid autem repugnat homini, animali non repugnat; nam repugnat homini rugire, quod tamen animali non repugnat.

Porrò in tribus ſuperioribus Canonibus per conſequens intelligitur ſuperiùs, per antecedens verò inferiùs: quia in ratiociniis ſuperiùs benè ſequitur ex inferiori; non contra.

Sic valet hæc conſequentia:

Eſt homo: Ergo eſt animal.

Non valet autem iſta.

Eſt animal: Ergo eſt homo.

Quinta & ultima, quæ est regula certissima bonitatis cujuscumque consequentiæ. Tunc tantùm bona est consequentia ratione formæ, quando contradictio consequentis evertit antecedens, ex primi Elenchorum ultimo: v. g. Bona est hęc consequentia ratione formæ, Hercules est homo: Ergo Hercules est rationalis.

Quia si contradictio consequentis, puta, Hercules non est rationalis, esset vera, falsum esset antecedens, Hercules est homo.

Contra verò hęc consequentia mala est ratione formæ: Petrus est substantia: Ergo Petrus est animal.

Quia etsi Petrus non foret animal, non propterea sequeretur Petrum non esse substantiam, cùm arbor non sit animal, nec tamen desinat esse substantia.

CAPUT TERTIUM.

De Divisione Consequentiæ.

Consequentia dividitur in consequentiam specificè sumptam & Argumentum, de qua sequenti articulo.

Medium in discursu est terminus, qui non reperitur in conclusione: unde

Ista consequentia est sine medio, quæ iisdē utitur terminis in antecedente & consequente; & triplex, scilicet

Prima, cum ex propositione subalternante colli-

colligitur ſubalterna hoc modo, omnis homo eſt animal, ergo aliquis homo eſt animal.

Secunda, cum ex propoſitione converſa colligitur convertens, ut omnis homo eſt animal, ergo aliquod animal eſt homo: vel omne non animal eſt non homo.

Tertia, cum ex propoſitione æquipollente colligitur æquipollens, ut ex iſta, omnis homo eſt animal. Colliguntur iſtæ per regulas æquipollentiæ, nullus homo non eſt animal, non aliquis homo non eſt animal.

Hoc ergo vocabulum, conſequentia, ſumitur tripliciter â Dialecticis. Primò genericè, pro quolibet raticinio; quo ſenſu de conſequentia diximus primo & ſecundo capite hujus Sectionis. Secundò ſpecificè, pro raticinio in quo non eſt medium, quo ſenſu conſequentia opponitur argumentationi. Tertio deniq; pro illatione conſequentis ex antecedente, quæ exprimi ſolet per particulam, ergo, quo ſenſu conſequentia eſt forma ratiocinii conſtitutiva.

ARTICULUS PRIOR.

De Argumentatione in Communi.

ARgumentatio eſt ratiocinium ſeu diſcurſus in quo reperitur aliquis terminus in antecedente, qui non eſt in conſequente, ut patet in iſto exemplo, Deus eſt bonus, ergo Deus eſt amandus.

Ille terminus qui est in antecedente, non autem in consequente, dicitur medium, & argumentum; medium quidem, quia eo utimur tanquam medio ad concludendum: Argumentum verò quia eo utimur ad arguendam mentem, & hinc deductum est argumentationis nomen.

Argumentatio definitur vulgò oratio logica, quæ ex argumento explicato alteram explicationis partem concludit: quippe quęstio est oratio interrogans sub disjunctione, ut in superiori argumento, quęstio erat, utrum Deus esset amandus nec-ne?

Unde quæstio duplicem habet partem, scilicet affirmantem & negantem:

Superior tamen argumentatio à bonitate Dei, quæ sumpta est pro argumento, alteram partem quæstionis, scilicet affirmantem, puta Deum esse amandum, concludit.

ARTICULUS POSTERIOR.

De Speciebus Argumentationis.

QUatuor species argumentationis sunt, scilicet exemplum, inductio, syllogismus & enthymema, quibus aliqui addunt dilemma, & soritem seu gradationem.

Exemplum vocatur primi Rhetoricorum primo, inductio oratoria, & vulgò describitur argumentatio, quæ ex aliquo singulari

aliud

aliud singulare simile colligit, ut patet in hoc argumento, Deus pepercit Davidi pœnitenti: ergo & tibi pœnitenti parcet.

Exempli duas affert species Aristoteles secundi Rhetoricorum vigesimo; unam quæ consistit in re gesta, ut patet in allato exemplo: aliam quæ consistit in re ficta, quæ dividitur in parabolam consistentem in exemplis cogitatis, & in fabulam, quæ vel consistit in ficta collocutione inter hominem & brutum, vel quæ consistit in collocutione fictâ inter duas bestias; sed posteriores sunt tantùm oratoriæ. Prior est etiam Dialectica, cujus hæc est forma; oculus infimus non perfectè cognoscit supremum visibile; ergo à pari intellectus infimus non perfectè cognoscit intelligibile supremum. ¶

Exemplum solvitur negando paritatem & asserendo disparitatem hoc modo, nego paritatem, & ratio disparitatis est, &c.

Inductio primi Top. decimo describitur, argumentatio quæ ex pluribus singularibus ad aliquod universale progreditur, ut Ignis Gallicus est calidus: Ignis Italus est calidus: Ignis Afer est calidus: Ergo omnis ignis est calidus.

Inductio solvitur afferendo instantiam, quæ nihil est aliud quàm exceptio ab aliquâ propositione generali: v. g. Si quis ita argumen-

taretur: Galli sunt albi: Angli sunt albi: Ergo homo omnis est albus: Respondendum esset negando consequentiam, & afferendo instantiam hoc modo; nego consequentiam, nã Æthiopes sunt homines, nec tamen sunt albi.

Exemplum & inductio differunt, tum in antecedente, tum in consequente; in antecedente quidem, quia in exemplo unicum assumitur vulgò singulare, in inductione verò plura, ut patet in allatis exemplis; In consequente, quia conclusio exempli solet esse singularis, cónclusio verò inductionis est universalis, ut patet in dictis exemplis.

Syllogismus de quo sequente sectione, est argumentatio constans tribus propositionibus ritè secundùm regulas dispositîs, ut, omnis virtus est amanda: atqui justitia est virtus: ergo justitia est amanda.

Enthymema est syllogismus truncatus, in quo alterùtra prĕmissa reticetur, unde sic appellatur, quia altera prĕmissa in animo retinetur, ut videre est in hoc exemplo, virtus est amanda, ergo justitia est amanda; ubi reticetur hæc minor, atqui justitia est virtus; & in isto, justitia est virtus, ergo amanda est: reticetur hæc major, omnis virtus est amanda: quibus prĕmissis additis, Enthymema reduceretur ad perfectum syllogismum, ut vidêre est in exemplò syllogismi.

Epichæ-

Epichærema est argumentum Rhetoricum, in quo integer syllogismus unicâ propositione continetur implicitè, ut si quis agens de justitia, sic exclamaret, hęc virtutum regina non amaretur? Exclamationis sensus esset, regina virtutum est maximè amanda; atqui justitia est virtutum regina: Ergo justitia maximè amanda est.

Dilemma definitur à Tullio, argumentatio, in quâ quicquid concesseris reprehenditur; vulgò autem describitur argumentum cornutum; seu utrinque feriens, ut si quis probaret opera à Deo solitariè operante producta esse perfecta, hoc modo, si opera à Deo particulariter procedentia non essent perfecta, vel quia Deus non posset, vel qnia non vellet, neutrum dici potest, non quia non potest, quia est potentissimus, non etiam, quia non vult, quia est optimus: Ergo opera à Deo particulariter operante procedentia sunt perfecta

Sorites dicitur ab acervo, unde vocatur à Cicerone acervalis argumentatio; à latinis verò dicitur gradatio, quia per varios gradus progreditur.

Definitur argumentatio, quæ ex multis propositionibus rectè consequentibus intentum tandem colligit, ut si quis probaret hominem esse corruptibilem, hoc argumento, omnis homo est animal: omne animal est vivens: omne

mixtum constat ex elementis: quicquid constat ex elementis constat ex contrariis: Quicquid constat ex contrariis, est corruptibile: Ergo à primo ad ultimum, omnis homo est corruptibilis; quod erat probandum.

SECTIO SECUNDA.

De Syllogismo in Genere.

SYllogismus definitur ab Aristotele primo capite priorum Analyticorum, Oratio in qua quibusdam positis necesse est aliud sequi ex eo quod hęc sint; hoc est, Oratio, in quâ cō-cessis pręmissis, non potest negari cōsequentia.

Syllogismus definitur vulgò argumentatio constans tribus propositionibus ritè secundùm regulas dispositis, scilicet majore, minore, & conclusione, ut videre est in hoc exemplo, omnis virtus est amanda: atqui omnis iustitia est virtus: Ergo omnis justitia est amanda.

CAPUT PRIMUM,

De Principiis Syllogismi.

PRincipia syllogismi, alia sunt interna, quæ ingrediuntur syllogismum; alia externa, quæ sunt extra syllogismum.

ARTICVLVS PRIOR.

De Principiis internis Syllogismi.

SYllogismus sicut quodlibet totum artificiale, constat duabus partibus essentialibus, materiâ scilicet & formâ, de quibus dicendum est, hoc articulo.

PARAGRAPHUS PRIOR.
De Materia Syllogismi.

MAteria ex quâ syllogismi, duplex, scilicet materia remota, & proxima; nam materia remotissima syllogismi est tantùm materia circa quam versatur syllogismus, vel materia de quâ loquitur, non autem materia ex qua constat syllogismus.

Materia remota syllogismi sunt termini, quia opus est, ut ex terminis priùs conficiantur propositiones, quàm syllogismus ex terminis.

In probo Syllogismo tres sunt tantùm termini, ex primi priorum vigesimo quarto, scilicet duo; de quorum conjunctione vel repugnantia disceptatur, quæ vocantur extrema, ex quibus constat quæstio & conclusio, quorum unum dicitur ma jus extremum seu major terminus, alterum minus extremum, seu minor terminus; & tertius qui est mènsura extremorum diciturq; medius terminus, & simpliciter medium, seu argumentum.

Singuli termini bis poni debent in syllogismo, ut ex tribus terminis tres fiant propositiones, in quibus autem propositionibus poni debeant, ex eorum desinitione patebit.

Majus extremum, est terminus, qui ponitur in majori & in conclusione, ut in superiori exemplo, amanda.

Minùs extremum est terminus, qui ponitur in minori & in conclusione, ut in eodem exemplo, justitia.

Medium est terminus, qui est in majori & in minori, nunquam autem in conclusione, seu est terminus, qui assumitur ad probandam conclusionem, ut in eodem exemplo, virtus.

Materia syllogismi proxima, sunt propositiones, quia ex iis immediatè componitur.

Propositiones in bono syllogismo tres etiam sunt, scilicet major, quæ simpliciter propositio vocatur, & thesis: minor, quæ dicitur simpliciter assumptio, & hypothesis, & conclusio quæ à S. Augustino summa appellatur.

Major est propositio, quæ continet majus extrenum, & medium, qualis est prima propositio huius syllogismi; omne mixtum est corruptibile: atqui omnis homo est mixtum: Ergo omnis homo est corruptibilis.

Minor est propositio quæ continet minus extremum & medium, qualis secunda propositio ejusdem syllogismi.

Conclusio definitur à sancto Augustino propositio, quæ consequitur ex pręmissis.

Porrò major & minor simul sumptæ, vocantur antecedens, & præmissæ, quia antecedunt conclusionem, eique pręmittuntur.

PARAGRAPHUS POSTERIOR.

De Forma Syllogismi.

Forma

FOrma operis artificialis, nihil est aliud quàm dispositio materiæ, ut patet in domo. veste, &c. & proinde

Forma syllogismi est dispositio materiæ sylogisticæ, itaque cùm duplex sit materia sylogistica, scil: proxima & remota. duplex quoq. est forma sylogistica, scilicet, figura & modus;

PUNCTUM PRIUS.
De Figura Syllogistica.

FIgura syllogismi est dispositio materiæ remotæ syllogismi, puta terminorum, & triplex est, scilicet prima, secunda, & tertia.

Prima figura est eâ, in qua medium subijcitur in majori, & prędicatur in minori, ut patet in hoc syllogismo, omne animal est sensitivum: atqui omnis homo est animal: ergo omnis homo est sensitivus.

Secunda figura est ea, in qua medium in utraque pręmissa prędicatur, ut patet in hoc exemplo: Nulla planta est animal, atqui omne Żoophytum est animal: Ergo nullum Zoophytum est planta.

Tertia figura est ea, in quâ medium in utraq; pręmissa subijcitur, ut in hoc patet, Nullum animal est Planta, atqui omne animal est vivens: Ergo aliquod vivens non est planta.

Ut hæc faciliùs retineantur, sequens inventum est Monomastichon.

Sub

Sub, præ, prima: secundaq;, bis, præ 1.
Tertia bis sub.

PUNCTUM POSTERIUS.
De Modis Syllogismi.

MOdus syllogismi est ejus propositionum apta secundùm quantitatem & qualitatem ad concludendum dispositio.

Modi syllogistici novemdecim vulgò recensentur, his versibus, barbaris quidem, sed ingeniosissimis expressis.

Barbara, celarent, darii, ferio baralypton.
Celantes, dabitis, fapesmo frisesmorum,
Cesare, camestres, festino, baraco, darapti.
Felapton disamis, datisi, bocardo, Ferison.

Horum modorum novem priores, duobus primis versibus expressi, pertinent ad primam figuram, quatuor sequentes ad secundam, & ad tertiam sex ultimi.

Ut illi versus percipiantur, notandum est primò, in illis vocabulis superiorum versuum, tres tantùm syllabas requiri tribus syllogismi propositionibus respondentes, & si plures reperiantur; additas tantùm esse metri causâ, ut in baralypton, & Frisesomorum.

Notandum secundò, in illis vocabulis & consonantes & vocales reperiri.

Consonantes inserviunt ad reductionem syllogismorum imperfectorum ad perfectos, ut infra patebit. Voca-

Vocales inserviunt ad cognoscendum quantę & quales esse debeant singulæ syllogismi propositiones, secundùm versus supra citatos.

Modi omnes, pręter quinque posteriores primæ figuræ, sunt directi.

Modus directus est ille, in quo servatur ordo naturalis terminorum & propositionum, vel clariùs est ille, in cujus conclusione majus extremum prędicatur.

Modus indirectus est ille, in quo non servatur naturalis ordo terminorum aut propositionum, vel clariùs in cujus conclusione majus extremum subijcitur.

Naturalis ordo terminorum est ut universaliores de inferioribus, & formæ de subiectis prędicentur, ut in his propositionibus, Petrus est homo, animal rationalis, risivus, doctus; propter quam rationem istæ propositiones vocantur ordinatæ, contrariæ verò inordinatæ. In syllogismo verò tunc est naturalis ordo terminorum, quando majus extremum est prędicatum conclusionis.

Naturalis ordo propositionum, est dum universaliores præeunt.

Sed majoris facilitatis gratiâ omnium modorum exempla hæc accipe.

MODI DIRECTI PRIMÆ FIGURÆ.

Bar omnis arbor est vegetans:
ba atqui omnis laurus est arbor:

ra	Ergo omni laurus eſt vegetans.
Ce	Nullum ſenſitivum eſt planta:
la	atqui omne zoophytum eſt ſenſitivum:
rent	Ergo omne zoophytum eſt planta.
Da	omne alatum eſt volatile:
ri	atqui aliqua muſca eſt alata:
i	Ergo aliqua muſca eſt volatilis:
Fe	Nulla muſca eſt avis:
ri	atqui aliquod alatum eſt muſca:
o	Ergo aliquod alatum non eſt avis.

MODI INDIRECTI PRIMÆ FIGURÆ.

Ba	omnis arbor eſt vegetans:
ra	atqui omnis laurus eſt arbor:
li	Ergo aliquod vegetans eſt laurus.
Ce	Nullum ſenſitivnm eſt planta:
lan	atqui omne zoophytum eſt ſenſiivum:
tes	Ergo nulla planta eſt zoophytum.
Da	omne alatum eſt volatile:
bi	atqui aliqua muſca eſt alata:
tis	Ergo aliquod volatile eſt muſca.
Fa	omne plumatum eſt alatum:
pes	atqui nulla muſca eſt plumata:
mo	Ergo aliquod alatum non eſt muſca.
Fri	aliquis homo eſt Philoſophus:
ſe	atqui nullus Angelus eſt homo:
ſom	Ergo aliquis Philoſophus non eſt Angelꝰ.

MODI SECUNDÆ FIGURÆ.

Ce	Nullum honeſtum eſt vitium:
ſa	atqui omnis frans eſt vitium:

re Ergo nulla fraus eſt honeſta.
Ca Omne ſuave eſt delectabile:
meſ atqui nulla medicina eſt delectabilis:
tres Ergo nulla medicina eſt ſuavis.
Fẽs Nullum peccatum eſt permiſſum:
ti atqui aliquod convivium eſt permiſſum:
no E. aliquod convivium non eſt peccatum.
Ba Omne plumatum habet plumas:
ro atqui aliquad alatum non habet plumas:
co Ergo aliquod alatum non eſt plumatum.

MODI TERTIÆ REGULÆ.

Fe Nullus Piſcis eſt ſanguineus:
la atqui omnis piſcis eſt animal:
pton Erg. aliquod animal non eſt ſanguineum.
Da Omnis muſca eſt alata.
ra atqui omnis muſca eſt implumis:
pti Ergo aliquod implume eſt alatum.
Di aliquod vinum eſt ſuave:
ſa atqui omne vinum eſt liquor:
mis Ergo aliquis liquor eſt ſuavis.
Da omnis Philoſophus eſt doctus:
ti atqui aliquis Philoſophus eſt homo:
ſi Ergo aliquis homo eſt doctus.
Bo aliquod ſaccharum non eſt album:
car atqui omne ſaccharum eſt dulce:
do Ergo aliquod dulce non eſt album.
Fe Nullum honeſtum eſt fugiendum:
ri atqui aliquod honeſtum eſt arduum;
ſon Ergo aliquod arduum non eſt fugiendũ.

ARTI.

ARTICULVS POSTERIOR.

De principiis externis Syllogismi.

PRincipia exrerna Syllogismi sunt ea, quæ ita concurrunt ad vim & perfectionem Syllogismi, ut tamen in ea non includantur, &c.

Triplicis sunt generis, sc: Fundamentalia, Directiva, & Perfectiva, de quibus deinceps.

PARAGRAPHUS PRIMUS.

De Fundamentis Syllogismorum.

FUndamenta Syllogismorum sunt effata quędam, quibus innititur tota vis Syllogistica, ut patet in superioribus exemplis.

Fundamenta Syllogismorum duplicis sunt generis, quædam omnibus Figuris communia, quædam singulis Figuris propria.

Fundamenta Generalia omnium Syllogismorum duo sunt: scilicet dici de omni, & dici de nullo; quanquam à quibusdam pro solâ prima figura afferantur; illis addi potest pro syllogismis affirmativis, istud tertium, quæ sunt eadem uni tertio, sunt eadem inter se

Dici de omni, hoc est, quicquid nniversaliter dicitur de superiori, dicitur de omnibus ejus inferibus, v. g. quia vivens dicitur universalirer de animali, concluditur de omnibus ejus inferioribus, hoc modo: Omne animal est vivens: Ergo omnis homo est vivens: Ergo omnis leo est vivens: Ergo omnis equus est vivens.

Dici

Dici de nullo, id eſt quicquid univerſaliter negatur de ſuperiori, negatur quoque de omnibus ejus inferioribus, v. g. ex hac propoſitione: Nulla planta eſt ſenſitiva, benè ſequitur: Ergo ficus non eſt ſenſitiva: ergo laurus non eſt ſenſitiva.

Quæ ſunt eadem uni tertio, ſunt eadem inter ſe, v. g. quia homo & riſivum conveniunt in rationali, eiq; identificantur, rectè concluditur convenire quoque & identificari inter ſe, ut in hoc ſyllogiſmo patet: Omne rationale eſt riſivum: atqui omnis homo eſt rationalis: ergo omnis homo eſt riſivus.

Sed ad veritatem hujus axiomatis requiritur, ut extrema idētificentur cum tertio univerſaliter, & pro omni ſuo ſignificato; unde licet in divinis Pater Divinus, & Filius Divinus, identificentur cum Deo, quia tamen non identificantur Deo pro omni ſuo ſignificato ſumpto, non ſequitur, Patrem Divinum, & Filium Divinum inter ſe identificari; unde vitioſum eſſet hoc argumentum, Pater Divinus eſt Deus; atqui Filius Divinus eſt Deus: Ergo Eilius Divinus eſt Pater Divinus.

Ad hoc Fundamentum ſufficit tamen, ſi alter-utrum Extremorum identificetur medio adæquatè ſumpto, unde licet Pater Divinus non identificetur Deo adæquatè ſumpto, quia tamen omnipotens Deo adæquatè ſumpto iden-

identificatur, bonus est hic Syllogismus; Deus est omnipotens: atqui Pater Divinus est Deus: ergo Pater Divinus est omnipotens.

Hoc axioma sic intellectum fundamentum est Syllogismorum affirmantium, cujuscunq; Figuræ; quamvis alio sensu mox afferendo sit solius tertiæ Figuræ affirmantis.

Fundamenta singularum Figurarum propria, quinq; sunt, scilicet duo pro prima figurâ, totidem pro tertia, & unicum pro secunda, quia secunda figura negativè tantùm concludit, aliæ vero tum affirmativè, tum negativè.

Fundamentum Syllogismorum affirmantium primæ Figuræ est, cùm majus extremum convenit medio, & medium minori, tunc majus extremum convenit minori, ut patet in hoc exemplo.

Bar omnis homo est animal.
ba atqui omnis Philosophus est homo:
ra Ergo omnis Philosophus est animal.

Fundamentum Syllogismorum negantium primæ figuræ, est Cùm majus extremum repugnat medio, & mediũ convenit minori, tunc majus extremum repugnat minori, ut in hoc.

Ce Nullus homo est arbor:
la atqui omnis Philosophus est homo:
rent Ergo nullus Philosophus est arbor.

Fundamentum secundæ figuræ est Sublatio consequente tollitur Antecedens, hoc est, si

nege-

negetur de aliquo gradu superior & universalior, negari quoq; potest de eodem gradus inferior & minus patens: v. g. si negetur de muscâ, quod sit avis, negari quoq; potest de eâ quòd sit perdix, ut patet in hoc syllogismo.

Ca Omnis Perdix est avis.
mes atqui nulla musca est avis:
tres Ergo nulla musca est perdix.

Fundamentum syllogismorum affirmantium tertiæ figuræ est, quæ sunt eadem uni tertio, sunt eadem inter se, sic intellectum, quando duo attribuuntur eidem subjecto, possunt de se invicem particulariter affirmari, ut patet in hoc exemplo.

Da Omnis Philosophus est homo:
ti atqui aliquis Philosophus est orator?
si Ergo aliquis orator est homo.

Fundamentum syllogismorum negantium tertiæ figuræ. Quæ non sunt eadem uni tertio non sunt eadem inter se: id est quando unum extremum convenit medio, aliud non convenit, unum negari potest particulariter de altero, ut in hoc syllogismo. Nulla musca est plumata: atqui omnis musca ast alata: ergo aliquod alatum non est plumatum.

PARAGRAPHUS SECUNDUS.

De Regulis Syllogismorum.

PRincipia directiva syllogismorum sunt Regulæ, quæ dirigunt intellectum in construendis syllogismis.

Duplicis sunt generis, aliæ omnibus figuris communes, aliæ singulis propriæ.

Regulæ Communes Syllogismorum.

SEptem sunt, duæ pro terminis, duæ pro medio, duæ pro præmissis, & una pro conclusione.

Prima. *Tum re, tum sensu triplex modò terminus esto*

Hoc est non debent plures termini reperiri in syllogismo quàm tres, ne quidem implicitè, hinc vitiosus est iste syllogismus. Canis latrat. Atqui sydus est canis, ergo sydus latrat.

Quia in illo syllogismo canis sumitur duplici sensu, & proinde æquivalet duobus.

Secunda. *Quantùm præmissæ, referat conclusio solùm.*

Id est terminus particulariter sumptus in præmissis, non debet universaliter sumi in conclusione, alioquin plus concluderetur, quàm probatum esset; hinc vitiosus est ille syllogismus. Omne saccharum est dulce. atqui omne saccharum est corpus. Ergo omne corpus est dulce.

Tertia. *Conclusio medium nunquam includat oportet,*

Hoc est medium non debet ingredi conclusionem. Quia est ejus probatio.

Quarta. *An semel, aut iterum medium generaliter esto.*

Id

Id est medium saltem distribuatur semel, seu universaliter sumatur, hinc nullus est hîc syllogismus. Omnis homo est animal. Atqui omnis equus est animal: ergo omnis vel aliquis equus est homo.

Quinta. ***Nil sequitur puris ex particularibus unquam.***

Hoc est, ex duabus premissis particularibus nihil sequitur, hinc peccat ille syllogismus. Aliquis homo est bajulus. Aliquis homo est rex. Ergo aliquis rex est bajulus.

Sexta. ***Utraq; si præmissa neget, nihil inde sequetur.***

Hoc est, ex puris negantibus nihil concludi potest.

Septima. ***Pejorem semper sequitur conclusio partem.***

Seu ut ajunt vulgo, conclusio sequitur debiliorem partem; hinc si una premissa sit universalis, altera particularis, conclusio debet esse particularis. ut in Darii, Baroco, &c. si una premissa sit affirmans, altera negans, conclusio debet esse negans, ut in Ferio, Bocardo, &c. Si verò una premissa sit particularis, altera negans, vel eadem particularis, negans; conclusio debet participare utrumq; defectum, ut in Ferio, Baroco.

Regulæ speciales syllogismorum sex sunt, duæ scilicet pro singulis figuris.

REGULÆ PRIMÆ FIGURÆ.

PRima est. *Ut bona sit major, generalis postulat esse.*

Hoc est major debet esse universalis, sc: a v. e

Secunda. *Ut præmissa minor quævis affirmet oportet.*

Hoc est, minor debet esse affirmans, sc: a vel i.

Verùm hæ duæ regulæ valent tantùm pro modis directis non pro indirectis, ut patet in Fapesmo & Frisesom.

REGULÆ SECUNDÆ FIGURÆ.

PRima. *Ut bona sit major, generalis postulat esse.*

Hoc est, major debet esse universalis, scilicet a vel e.

Secunda. *Ut de præmissis semper neget una necesse est.*

Hoc est, alrerutra pręmissa debet esse negans & proinde conclusio propter ultimam regulam communem.

REGULÆ TERTIÆ FIGURÆ.

PRima. *Ut præmissa minor quævis affirmet, oportet.*

Hoc est, minor debet esse affirmans, sc: a vel i.

Secunda. *Particularis erit quævis conclusio ternæ.*

Id est conclusio debet esse particularis scilicet i & o.

Porò

Porrò omnes illæ regulæ requiruntur tantum, ut syllogismus bonus sit ratione formæ, nam possunt quidem concludere ratione materiæ, qui peccant contra aliquam ex illis legibus tum communibus, tum specialibus, ut patet in sequentibus. Aliquis Philosophus est homo. Atqui aliquis orator est homo. Ergo aliquis orator est Philosophus. Peccat contra quintam Regulam communem, secundam quia una saltem præmissa debet esse universalis. Omnis homo est vivens. Atqui omnis homo est animal: ergo omne animal est vivens. Peccat contra secundam Regulam tertiæ figuræ in qua est, juxta illam enim conclusio debet esse particularis.

PARAGRAPHUS TERTIUS.

De principiis perfectivis Syllogismorum.

PRincipia perfectiva syllogismorũ, leges sunt reducendi syllogismos imperfectos ad perfectos.

Syllogismus perfectus est ille, qui ita clarè concludit, ut omnibus statim pateat illius concludẽdi vis, quales sunt quatuor soli primi primæ figuræ, scilicet Barbara, &c. cæteri enim sunt imperfecti.

Syllogismus imperfectus non sic dicitur, quod sit vitiosus, sed quia licet benè concludat, omnibus tamen prima fronte non videtur

 benè

benè concludere; quales sunt omnes prȩter quatuor primos primæ figuræ, qui ideò ad quatuor illos primos reduci possunt.

Reductio est revocatio syllogismi imperfecti ad perfectum per propositionis alicujus conversionem, transpositionem, aut assumptionē.

Duplex tantùm est reductio, scilicet ostensiva, & ad impossibile. Nam reductio expositoria, non tam est reductio quàm explicatio syllogismi imperfecti per exemplum aut inductionem, ut si quis concessis prȩmissis, negare conclusionem hujus syllogismi; omnis homo est animal, atqui aliquis Philosophus est homo: ergo aliquod animal est Philosophum? Sic expositorie reducendus esset syllogismus: Petrus est Philosophus; atqui Petrus est animal; ergo aliquod animal est Philosophum.

PUNCTUM PRIUS.

De Reductione ostensiva.

REductio ostensiva est ea, per quam in syllogismo perfecto infertur eadem conclusio, quæ inferebatur in imperfecto, retento eodem medio, & facta aliqua conversione aut transpositione.

Ut syllogismus imperfectus ad perfectum reducatur, duo cognoscenda sunt: Primum, ad quem modum perfectum reducatur syllogismus imperfectus: Secundum, quid faciendum sit, ut syllogismus imperfectus reducatur ad perfectum.

Ut cognoſcatur ad quem modum perfectum ſyllogiſmus imperfectus oſtenſivè reducendus ſit, notandæ ſunt conſonantes initiales, B. C. D. F. nam modi imperfecti incipientes per B. ad barbara: per C. ad celarent: per D. ad darii: per F. ad ferio reducendi ſunt.

Ut autem cognoſcatur quid faciendum ſit ad reductionem oſtenſivam ſyllogiſmorum imperfectorum ad perfectos, obſervandæ quatuor aliæ conſonantes, quæ non ſunt initiales, ſcilicet S. P, M, C. quæ denotant totum artificiũ reductionis oſtenſivæ his verſibus cõtentũ.

S. Vult ſimpliciter verti P verò per accid,
M. Vult tranſponi, C. per impoſſibile duci.

In quibus verſibus continẽtur quatuor regulæ.

Prima eſt: S. vult ſimpliciter verti, hoc eſt, propoſitio denotata per vocalem præcedentem literam S. ſimpliciter convertenda eſt, ut modus imperfectus oſtenſivè reducatur ad perfectum, ſicut hic ſyllogiſmus in

Da Omnis piſcis eſt mutus,
bi atqui aliquod animal eſt piſcis:
tis Ergo aliquod mutum eſt animal,

reducatur oſtenſivè, quia ultimam vocalem ſequitur S, concluſio convertenda eſt ſimpliciter, ut Dabitis reducatur hoc modo ad

Da Omnis piſcis eſt mutus,
ri atqui aliquod animal eſt piſcis:
i Ergo aliquod animal eſt mutum.

Secunda est. P, verò per accid, hoc est propositio denotata per vocalem precedentem consonantem P, est convertenda per accidens, ut modus imperfectus ostensivè reducatur ad perfectum, v. g. ut hic syllogismus in

Fe Nulla musca est avis:
la atqui omnis musca est alata:
pton: Ergo aliquod alatum non est avis;

reducatur ostensivè, minor quàm sequitur P, convertenda est per accidens, sicque felapton reducitur ostensivè hoc modo ad

Fe Nulla musca est avis:
ri atqui aliquod alatum est musca;
o Ergo aliquod alatum non est avis.

Tertia est M, vult transponi, hoc est, ut syllogismus imperfectus in cujus modo reperitur M, ostensivè reducatur, utendum transpositione premissarum, ita ut major sumatur pro minori & vicissim.

Hinc quia in fapesmo reperiuntur tres superiores consonantes, tres superiores regulæ observandæ sunt.

Fa Omne vegetans est vivens:
pes atqui omnis lapis est vegetans:
mo Ergo aliquod vivens non est lapis;

ut syllogismus ille ostensivè reducatur ad

Fe Nullum vegetans est lapis,
ri atqui aliquod vivens est vegetans:
o Ergo aliquod vivens non est lapis.

Quar-

Quarta est C, per impossibile duci, hoc est, modi in quorum medio reperitur C, puta Baroco & Bocardo, non possunt ostensivè reduci, sed tantùm per impossibile.

PUNCTUM POSTERIUS.

De Reductione ad impossibile.

REductio ad impossibile, seu ad incommodum est ea, quâ probatur consequentia negata syllogismi alicujus imperfecti, sumendo in antecedente contradictoriam conclusionis negatæ cum alterutra premissa jam concessa, & inferendo in modo perfecto conclusionem incompatibilem cum unâ ex premissis concessis, v. g. si quis concessis premissis negaret conclusionem hujus syllogismi.

Bo Quædam musca non est plumata,
car atqui omnis musca est alata:
do Ergo aliquod alatū non est plumatū. sic esset iste syllogismus per impossibile reducēd⁹ ad

Bar Omne alatum est plumatum:
ba atqui omnis musca est alata.
ra Ergo omnis musca est plumata.

Quid faciet adversarius? Non potest negare consequentiam modi tam evidentis. Negabit ne majorem? At est contradictoria conclusionis jam negatæ: duæ autem contradictoriæ non possunt negari, cùm ambæ non possint esse falsæ. Minorem etiam jam concessit in priori syllogismo: Ergo cantanda est necessariò palinodia.

Ut fiat reductio ad impoſſibile, duo notanda ſunt. Primum eſt: ad quem modum perfectum debeat imperfectus reduci. Secundum eſt, quid ſit faciendum, ut reducatur.

Ut habeatur ad quem modum perfectum imperfectus debeat reduci per impoſſibile, hic verſus ſupra ſingulos modos imperfectos ſyllabatim deſcribendus. Phé

Baralypton.
bi fer a xis
Celantes, dabitis, ſapeſmo friſeſomorum:
o bit ter ras ſphe
Ceſare, cameſtres, feſtino, baroco, Darapti,
ram que quot an nis
Felapton, diſamis, datiſi, bocardo, feriſon.

Er illi modi in quos cadit A, reducantũr ad barbara, ſcilicet ſapeſmo, baroco, felapton & bocardo; in quos cadit E; ad celarent, ſcilicet Baraſypton, dabitis, feſtino, darapti, & diſamis: in quos cadit I; ad Darii, ſcilicet celantes, friſeſom, cameſtres, & feriſon: in quos cadit o, ad ferio, ut ceſare & datiſi.

Ut ſciatur quid agendum, ut ſyllogiſmus imperfectus ad perfectum per impoſſibile reducatur, tenendi ſunt quatuor verſus ſequentes, quorum duo priores ſunt pro modis indirectis primæ figuræ; tertius pro modis ſecundæ, ultimus pro modis tertiæ.

Major fit minor & fit contradictio major.
Dempto celantes, in quo pervertitur ordo,

Servat majorem, variatq́ʒ secunda minorem.
Tertia majorem variat, servatq́ʒ minorem.

Sensus primi versus hic est, in syllogismis indirectis primæ figuræ, major syllogismi indirecti sumenda est pro minore, & sumenda contradictio conclusionis negatæ pro majore ut patet in hoc exemplo, in quo syllogismus in

Da Omnis piscis est mutus:
bi atqui quoddam animal est piscis:
tis Ergo quoddam mutum est animal.
Hoc modo revocatur ad
Ce Nullum mutum est animal,
la atqui omnis piscis est mutus:
rent Ergo nullus piscis est animal.

Secundus versus ostendit oppositâ viâ procedendum esse, in reducendo celantes, scilicet sumendam esse minorem pro majore, & condictoriam conclusionis negatæ pro minore, ut syllogismus in

Ce Nullum odiosum est honestum:
lan atqui fraus omnis est odiosa;
tes Ergo nullum honestum est fraus.
Reducitur per impossibile ad
Da Omnis fraus est odiosa:
ri atqui aliquod honestum est fraus:
i Ergo aliquod honestum est odiosum.

Sensus tertii versus est, ut syllogismus secundæ figuræ reducatur per incommodum, retinenda est major & sumenda contradictio

conclusionis negatæ pro minore, ut patet in reducendo.

Ba Omnis virgo est casta,
ro quædam mulier non est casta:
co Ergo quædam mulier non est virgo.

Ad modum perfectum.

Bar Omnis virgo est casta:
ba omnis mulier est virgo:
ra Ergo omnis mulier est casta.

Ultimus versus docet in reductione tertiæ figuræ ad impossibile, sumendam esse contradictionem conclusionis negatæ pro majore, & retinendam esse minorem, ut patet in reductione sequentis modi

Fe Nullus vespertilio est avis:
la atqui omnis vespertilio est volans?
pton Ergo aliquod volans non est avis.

Ad modum

Bar Omne volans est avis:
ba atqui omnis vespertilio est volans:
ra Ergo omnis vespertilio est avis.

CAPUT SECUNDUM.

De Proprietatibus Syllogismorum.

PEr proprietates syllogismorum intelligimus virtutes, seu ut loquuntur, potestates syllogismorũ, quę sex afferuntur ab Aristotele.

Prima. Ex iisdem pręmissis posse plura concludere, scilicet subalternantem, subalternatam,

tam, æquipollentem, & convertentem, v. g. ex iis præmissis, omne animal est sensitivum, atqui omnis homo est animal, inferri possunt hæ omnes conclusiones: Ergo omnis homo est sensitivus: Ergo aliquis homo est sensitivus: Ergo Petrus est sensitivus: Ergo non aliquis homo non est sensitivus: Ergo nullus homo non est sensitivus: ergo aliquod sensitivum est homo: ergo omne non sensitivum est non homo

Secunda. Ex vero nonnisi verum sequitur, ex falso autem & verum & falsum, ut dictum est supra agendo de regulis consequentiæ: ex falso tamen non sequitur verum absolutè, sed tamen ex hypothesi quod præmissæ sint cõcessæ ut patet ex Aristotelica definitione syllogismi.

Tertia: Argumentari circulariter, seu per regressum. Verùm de regressu dicemus in commentario ad calcem disputationis de Demonstratione.

Quarta. Argumenti per reductionem ad impossibile.

Quinta. Argumenti per reductionem ostensivam.

Ultima. Argumenti ex impossibilibus per inadvertentiam aut ignorantiam concessis, hoc modo, ex concessis. Atqui etiam ex concessis: ergo ex concedendis.

Præter has generales potestates syllogismorum, afferri possunt potestates singularum figurarũ propriæ, ex Philosopho primo priorũ.

Potestas primæ figuræ est posse concludere quamlibet quęstionem scilicet A, E, I, O, ex primi priorum quarto.

Potestas secundæ figuræ est concludere solas quæstiones negantes, scilicet E, & O, primi priorum quinto.

Potestas tertiæ figuræ est concludere solas quæstiones particulares, scilicet I, & O, ex primi priorum sexto.

Unde A, potest concludi per solam primam; E, per primam & secundam, I, per primam & tertiam; O, per omnes.

CAPVT VLTIMVM.

De Divisione Syllogismi.

PRimò syllogismus ratione materiæ proximæ seu propositionum totidem modis potest dividi; quot modis divisa est propositio secundâ parte hujus compendii.

Notandum tamen est, quantitatem & qualitatem syllogismi à conclusione esse repetendas, adeò ut syllogismus censeatur universalis, aut particularis, affirmans aut negans, cujus conclusio tanta & talis est.

Dividitur secundò ratione terminorum in expositorium & categoricum.

Syllogismus expositorius est, qui continet aliquem terminum singularem, cujus medium est singulare, qualis est sequens. Aristo-

teles fuit Alexándri magni præceptor: atqui Ariſtoteles fuit Peripateticorum princeps. Ergo Peripateticorum princeps fuit Alexandri præceptor.

Syllogiſmus categoricus eſt ille, in quo nullus eſt terminus ſingularis, cujus medium eſt nniverſale, quales ſunt omnes ſupra allati in exemplo modorum ſyllogiſticorum.

Dividitur tertiò ratione figuræ in ſyllogiſmum primæ, ſecundæ & tertiæ figuræ.

Dividitur quartò ratione modi in directū & indirectum, itemque in perfectum & imperfectum, de quibus diviſionibus ſupra.

Dividitur quintò ratione artificii in illativum & probativum.

Syllogiſmus illativus, qui vocari poteſt à rebus avulſus, ille eſt, qui nihil habet de ſyllogiſmo prçter ſpeciem diſpoſitionis terminorum, qualis eſt iſte, omne A, eſt B, atqui omne C, eſt A: Ergo omne C, eſt B.

Cuiuſmodi ſyllogiſmis utitur Ariſtoteles in prioribus Analyticis, ut oſtendat prçcepta, quæ tradidit de ſyllogiſmis eſſe efficacia per ſe, non autē ratione ſpecialis materiæ, cui applicētur.

Syllogiſmus probativus, qui dici poſſet rebus concretus, eſt ille qui formam ſyllogiſticam alicui ſpeciali materiæ probandæ applicat, unde juxta Ariſtotelem initio Topicorum & primi Elenchorum ſecundo.

Triplex est Syllogismus probativus, pro triplici materiâ probanda, scilicet Demonstrativus, Topicus, & Sophisticus.

Syllogismus Demonstrativus ille est, qui versatur in materiâ necessaria, qualis hic, Deus est omnipotens. Atqui Spiritus sanctus Deus est. Ergo est omnipotens.

Syllogismus Topicus est ille, qui in materia contingenti & probabili tantùm versatur, qualis iste. Quem vocas parentem te genuit. Atqui vocas illum hominem patentem. Ergo ille homo te genuit.

Syllogismus Sophisticus est ille, qui in materia captiosâ & fallaci occupatur, qualis iste. Quod facit bibere & rebibere, facit sitim amittere. Atqui laridũ salsum facit bibere & rebibere: ergo laridum salsum facit amittere sitim.

Superest tantùm nobis agendum de illis tribus syllogismi speciebus, de quibus tres instituemus Sectiones.

SECTIO PRIMA.

De Syllogismo Demonstrativo.

DEmonstratio definitur per premissas syllogismus constans ex veris, primis, immediatis, notioribus, prioribus, causisque conclusionis.

Dicitur primò syllogismus. Quæ particula tenet locum generis: cæteræ verò tenent locum, differentiæ.

Syllo-

Syllogiſmus quidem poteſt eſſe ſine illis conditionibus, non poteſt autem eſſe demonſtratio, inquit Ariſtoteles primi priorum ſecundo.

Dicitur ſecundò conſtans veris, quia ex falſo non ſequitur verum, niſi per accidens.

Dicitur tertiò conſtans primis & immediatis, id eſt, pręmiſſis, quæ ita claræ ſunt, ut non egeant medio quo probentur.

Dicitur quartò conſtans notioribus & prioribus, quia pręmiſſæ probant concluſionem, proindeq́, debent eſſe notiores & priores concluſione, ſecundùm illud axioma Ariſtotelis; propter quod unumquodq́; tale, & illud magis, quod habetur primi Poſteriorum ſecundo.

Dicitur denique, conſtans cauſis concluſionis. Quod ut intelligas.

Nota cauſam hîc duplicem diſtinguendam eſſe, ſcilicet cauſam rei ſeu eſſendi, qualis eſt hic ignis reſpectu fumi, & Deus reſpectu creaturæ, &c. & cauſam cognitionis ſeu cognoſcendi, qualis eſt fumus reſpectu ignis, & creatura reſpectu Dei.

Pręmiſſæ demonſtrationis à priori, nôn tantùm debent eſſe cauſæ cognoſcendi, ſed etiam cauſæ eſſendi reſpectu concluſionis.

Pręmiſſæ verò demonſtrationis â poſteriori, debent eſſe duntaxat cauſæ cognoſcendi; itaq́;

Duplex eſt demonſtratio, ſcilicet à priori & à Poſteriori.

Demonstratio à posteriori est ea, quæ probat causam per effectum, seu signum, qualis est hęc demonstratio Aristotelis primi posteriorum secundo. Quicquid circulariter luminis incrementum suscipit globosum est. Atqui Luna circulariter luminis incrementum suscit. Ergo Luna globosa est.

Demonstratio à priori est ea, quæ probat effectum per causam, qualis hæc. Quidquid pręditum est anima rationali est capax scientiæ : atqui omnis homo est prędituś anima rationali : ergo omnis homo est capax scientiæ.

Demonstratio à priori, vel est perfecta, seu per causam proximam, vel minus perfecta, seu per causam remotam, prior vocatur ab Aristotele primi posteriorum decimo propter quid : posterior verò simul cum demonstratione à posteriori quia, seu quod.

Demonstratio perfecta seu per causam proximam est ea, quæ affert causam immediatam cur prędicatum conclusionis conveniat subjecto, qualis est hęc: Omne rationale est scientiæ capax. Atqui omnis homo est rationalis. Ergo omnis homo est scientiæ capax.

Hæc demonstratio vocatur propter quid, quia non tantùm probat conclusionem esse veram, sed etiam rationem affert cur vera sit : & duplex est, scilicet potissima, seu perfectissima, & perfecta tantùm.

Demon-

Demonſtratio potiſſima, ſeu perfectiſſima eſt ea, in qua effectus probatur per cauſam proximam indemonſtrabilem à priori, ut cùm proprietas de ſubjecto demonſtratur per definitionem ſubjecti, v. g. quòd homo ſit Philoſophiæ capax eò quod ſit animal rationale.

Demonſtratio perfecta tantùm eſt ea, quâ effectus demonſtratur quidem per cauſam proximam; ſed quæ cauſa proxima poſſet adhuc demonſtrari à priori, ut ſi demonſtraretur virtus rarefactiva de igne per ejus calorem, quia calor ignis agnoſcit cauſam priorem à qua manat, puta naturam ignis:

Demonſtratio minus perfecta, ſeu per cauſam remotam eſt ea, quæ probat effectum per cauſam, quæ requiritur quidem ad ipſum, quâ tamen poſitâ nondum ponitur effectus; qualis hæc Philoſophi primi poſteriorum ſecundo. Omne reſpirans eſt animal: atqui nullus murus eſt animal: Ergo nullus murus eſt reſpirans: Hæc demonſtratio ſimul cum demonſtratione à poſteriori vocatur demonſtratio, quia ſeu quod, eò quòd probet quidem rem eſſe, ſed non afferat rationem cur ſit, ſaltem proximam.

Demonſtratio definitur per effectum primi priorum ſecundo, ſyllogiſmus ſcientificus, ſeu pariens ſcientiam.

Scientia definitur cognitio vera, certa, & evidens rei neceſſariæ per cauſas.

Dicitur primò cognitio, quæ particula habet locum generis complectentis omnes habitus intellectûs. eosque distinguens ab habitibus voluntatis qui non sunt cognitiones, sed pondera seu inclinationes.

Dicitur secundò, vera, ut distinguatur ab errore & hæresi.

Dicitur tertiò, certa, ut distinguatur ab opinione & fide humanâ.

Dicitur quartò, rei necessariæ, ut distinguatur ab arte & prudentiâ.

Additur denique per causas, ut distinguatur, tum ab intelligentia, tum à qualibet aliâ cognitione non Philosophica.

SECTIO SECUNDA.

De Syllogismo Topico.

SYllogismus Topicus dialecticus, probabilis, opiinativus, seu tentativus, definitur per præmissas, Syllogismus constans probabilibus; per effectum verò syllogismus pariens opinionem.

Probabilia sunt ea, quæ licet non sint necessaria, apparent tamen vera, vel omnibus. vel pluribus, vel sapientibus, iisque vel omnibus, vel pluribus, vel spectatissimis, ut quod non sit parentibus diffidendum.

Probabile duplex est, scilicet opinabile quod ratione verisimili duntaxat nititur, &

credi-

credibile, quod nititur authoritate alicujus creaturæ. Primum parit opinionem propriè ſumptam: ſecundum fidem naturalem, Angelicam vel humanam.

Opinio ſtrictè ſumpta eſt aſſenſus alicui propoſitioni cum formidine, propter rationem tantùm probabilem.

Fides naturalis eſt aſſenſus alicui propoſitioni cum formidine, propter authoritatem perſonæ Angeli, ſcilicet vel hominis, quæ fallere poteſt vel falli.

Dialectici ad quęrenda media, ſeu argumẽta probabilia, utuntur locis communibus.

Locus communis eſt ſedes argumentorum.

Argumentum hic definitur, probabile inventum ad faciendam fidem.

Duplex eſt locus communis apud Dialecticos, ſcilicet maxima & differentia maximæ.

Maxima eſt propoſitio per ſe nota per quam multa alia probari poſſunt, ut cui convenit definitio, ei definitum convenit.

Differentia maximæ eſt receptaculum plurium axiomatum aliquo modo affinium, ut locus à definitione, à genere, &c. & ille locus

Duplex eſt, ſcilicet, aſſumptus, & inſinitus, ſeu intrinſecus.

Locus aſſumptus eſt ille, ex quo promuntur argumenta, quæ non ex re ipſa, ſed exttinſecùs deſumuntur, v. g. ab authoritate divi-

divinâ, vel humanâ; hic locus dicitur artis expers, quia non opus est magnâ industriâ, ut ex eo deducantur argumenta.

Locus insitus est ille, qui continet argumenta ex ipsâ re, seu ut loquuntur oratores, ex visceribus causæ deprompta. Dicitur artificialis, quia arte opus est & industriâ, ut ex tali loco eruantur argumenta, quales sunt loci à defintione, à genere, à notatione nominis, &c. de quibus agunt Rhetores tractatu de inventione, & Dialectici in Topicis.

SECTIO ULTIMA.
De Syllogismo Sophistico.

CAPUT PRIMUM.
De Materia Syllogismi Sophistici.

SYllogismus Sophisticus; captiosus, litigiosus. fallax, definitur initio Top. syllogismus constans propositionibus, quæ apparent veræ nec tamen sunt.

Per effectum verò describitur, Syllogismus inducens in errorem.

Error est cognitio falsa.

Syllogismus Sophisticus, vel fallax, est ratione formæ, cùm scilicet peccat contra aliquam ex regulis syllogisticis superiùs allatis. Vel ratione materiæ, cùm desumunt aliquod argu-

argumentum ex locis Sophisticis, tuncq; vel mentitur demonstrativum syllogismum. & dicitur Pseudographus, seu Paralogismus, vel mentitur probabilem, & dicitur Sophisticus.

Finis Sophistarum est evincere in opinione auditorem, cogendo, aut ad contradictionem apparentem, aut ad falsum, aut ad paradoxum, aut ad solecismum, quasi verò ex victoriâ lucrum aliquod reportent, ex primi Elench. 2.

Finis autem Logicæ fallacias considerantis, est eas detegere & solvere.

CAPUT POSTERIUS.

De Locis Sophisticis.

LOci Sophistici sunt sedes argumentorum captiosorum, & duplicis sunt generis, quidam in dictione seu in verbis: quidam extra dictionem seu in rebus, de quibus omnibus deinceps.

ARTICULUS PRIOR.

De Locis Sophisticis in dictione.

SEx sunt: quorum

Primus est ab æquivocatione, quæ est ambiguitas vocis, ut in hoc syllogismo. Galli canunt manè: atqui Parisini sunt Galli: Ergo Parisini canunt manè.

Secundus est ab amphibologia, quæ est orationis ambiguitas, ut in hoc Syllogismo: ad

littus

littus arandum opus est aratro: âtqui lavare æthiopem, est littus arare: Ergo ad lavandum æthiopem opus est aratro.

Tertius est à Compositione, cùm à rebus diversis ad earum conjunctionem proceditur, ut in sequenti syllogismo. Hęc equa est mater; atqui hæc equa est & tua: ergo hæc equa est mater tua. Hinc illud effatum à sensu diviso ad conjunctum non valet consequentia.

Quartus est à divisione, cùm à rebus conjunctis ad earum separationem proceditur, ut in hoc syllogismo; impossibile est dormientem videre. Atqui Petrus est dormiens. Ergo impossibile est Petrum videre. Hinc illud effatum à sensu composito ad divisum, non valet consequentia.

Qũintus est ab accentu: Cùm eadem vox ob diversitatem accentus, aut alterius accidentis grammaticalis, variam sortitur significationem, ut in sequentibus. Qui venatur Lepores, eget catapultis. Atqui oratores venantur lepores: ergo oratores egent catapultis Qui te vocat hominem egregium, te laudat, Atqui irrisor te vocat hominem egregium: Ergo irrisor te laudat.

Sextus est à figura dictionis? Cùm ex similitudine vocum infertur eadem significatio; ut in hoc syllogismo. Quas emisti carnes comedisti. Atqui emististi carnes crudas: ergo commedisti carnes crudas.

Fallacia eſt in particula, quas, quæ ſignificat ſubſtantiam rei tantùm, & tamen in illo ſyllogiſmo ſumitur pro qualitate.

ARTICULUS POSTERIOR.

De Locis Sophiſticis extra dictionem.

SEptem ſunt, quorum

Primus eſt ab accidente: Cùm id quod per accidens competit ſuperiori, colligitur de inferioribus hoc modo. Animal eſt neutrius generis. Atqui homo eſt animal: Ergo homo eſt neutrius generis; & hinc propter hanc fallaciam non licet argumentari à ſecundis intentionibus ad primas.

Secundus eſt à dicto ſecundùm quid ad dictum ſimpliciter, cujus proinde non valet conſequentia, ut in hoc: Vinum eſt noxium febricitantibus. *E*rgo vinum eſt noxium.

Tertius eſt ab ignorantia elenchi: Cùm Sophiſta infert concluſionem veluti contradictoriam, quæ revera non eſt contradictoria, ut, Vinum febricitantibus noxium eſt: atqui vinum bene valenti non eſt noxium: Ergo vinum non eſt noxium, & noxium.

Quartus eſt à petitione principii, cùm ſcilicet idem ſumitur ad ſeipſum ſub aliis verbis probandum, ut qui argumentando contra aliquam theſim, v. g. contra exiſtentiam Philoſophiæ ſic incipit. Non datur Philoſophia: ergo nulla theſis. Quin-

Quintus est à consequente & antecedente, cùm scilicet, vel ex superiori colligitur inferiùs, hoc modo est animal; ergo est homo: vel cùm ex negatione inferioris negatur superiùs, hoc modo: Non est homo: Ergo non est animal.

Sextus est à non causâ tanquam à causâ, vel à causâ inadæquatâ, tanquam à causâ adæquatâ, ut in sequentibus: homines literati fuerunt hæresiarchæ: Ergo exterminandæ sunt literæ. Quò minùs onustus est equus, currit velociùs: Ergo cùm nullo modo onustus est currit in instanti.

Septimus & ultimus est ab interrogatione multiplici, cùm plures interrogationes simul intricantur, ut in hoc: Nescis quod à te volo petere. Atqui volo à te petere nomen tuum: Ergo nescis nomen tuum. In cujus majore duæ continèntur interrogationes, putâ, scis-ne rem, de quâ te interrogare statui, & scis-ne propositum quod habeo te interrogandi. Prius cognosci potest naturaliter, non posteriùs.

Et hæc sunt quæ pertinent ad Compendium Logicum, in quo quæcunque dicta sunt conducant.

Ad Majorem Dei Gloriam.

Finis Compendii Logici.



